843 L-15-12

GRATII FALISCI CYNEGETICON,

Cum Poematio Cognomine

M. A. Olympii NEMESIANI Carthaginensis:

Notis perpetuis, variisq; Lectionibus adornavit

THOMAS JOHNSON, M. A.

Accedunt

Hier. Fracastorii ALCON, Carmen Pastoritium:

Jo. Caii, Angli, de *Canibus* Libellus:

Ut &

Opusculum vetus Κυνοσοφιον dict. seu, de *Cura Canum*, Incerto Auctore.

Aptaque Venanti Gratius arma daret:
Ov. de Ponto, Lib. 4. El. ult.

LONDINI:

Impensis Gul. Harper ad Iridem auream è regione D. Dunstani, in vico *Fleetstreet* dicto. MDCXCIX.

1386: 14

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,

GULIELMO

GLOVERNIÆ DUCI.

CUM tot indies tuarum laudum præconia, Sereniſſime Princeps, tanta ſagacitatis innatæ, judicii leporiſque ſupra ætatem felicis prædicantur exempla; feſtinandum mihi duxi, ne *Gratium* pòſt dedicaturus in ipſo ſiſterem auſu, illas animi dotes jure reformidans, annis jam ad maturitatem perductas. Properatum itaque meritò opus, meumque tuam ætatem quà licet demerendi ſtudium nolim aſperneris: Quin paternum candorem reveritus hoc qua-

lecunque munus clemens accipe. Ut quibus Ille inſervit laboribus per frigora, per nives, ſtrenuus & invictus, Tu jam hiſce carminibus deſcriptos legas mox imitaturus. Non excelſæ tuæ indoli deliciarum incantamenta, non pueriles Veneris nugas affero, ſed Martis rudimenta, Regum exercitia, Heroum labores. Macte igitur virtute tua, Illuſtriſſime Princeps, & nequando infirmior corporis habitus animi quoque ad ſumma contendentis impetum retardet, perpetuam indulgeat tibi Deus ſalutem, qualem poſtulat tanti ingenii tantæque ſpei Princeps, Rex futurus.

Ità precatur

Celſitudini tuæ,

Devotiſſimus

Humillimuſque Cliens,

THO. JOHNSON.

LECTORI.

Instituti mei rationem, quam in edendo Gratio *servandam proposui, paucis, Lector, accipias velim. Ex quo enim meos in se convertit oculos, mirificè delectabar cum nervosâ brevitate & elegantibus figuris, tum singulari narrationis artificio. Sed quià difficiliores subinde occurrebant loci, qualesque lectorem invitum sæpiùs morarentur, suam Auctori lucem, quà fieri potuit, reddendam duxi. Diligentiùs itaque incumbendum ratus, editiones, quotquot usquàm erant in promptu, corrasi*; Xenophontem *utrumque* Oppianum, Pollucem, Plinium, *aliosque consului*; *non tamen eo fine, ut ingenti commentariorum farragine eruditionis speciem præ me ferrem, sed ut ex editionibus collatis, & auctoribus consimilem materiam*

teriam tractantibus, clarior in posterum dilucidiorque prodiret Gratius. *Notas volui, non Exercitationes: Quò enim futiles explicationes, ubi nulla subjacent fundamenta? certo itaque ante omnia & expedito contextu opus erat; quem ut tibi, Lector, definitum darem, omnes* Gratii, *præter unam, Editiones conquisivi; quam quidem abfuisse eò magis me malè habet, quod multa Vlitius, in ipsis, qui ad manum sunt, codicibus, vel præ incuriâ prætermisit, vel ut inutilia abjecit: quorum tamen ope nonnulla à me non infeliciter restituta spero. Si qui sunt, qui anxiam istam diligentiam culpare properant, sciant velim me non eum esse qui omnia primo intuitu penetrare valeam. Quin & ipsi sæpe interrogati turpiter hærent, & vel ignorantiam suam fateri coguntur, vel nugas hasce securi contemnunt, & strenuæ Grammaticorum inertiæ fastidiosi mandant. Quos quidem dicere non verebor, penitiores & consultò abditas veterum elegantias nunquam percepisse. Præclaram proinde gratiam veteribus referimus, si quos ipsi nobis summâ cum laude summo-*

que

que ſtudio evigilarunt libros, nos ne quidem dignos qui intelligantur judicaverimus. Mihi verò hâc in parte peccare religio erat, adeoque centies eundem locum ad examen revocabam, in omnes partes verſabar, amicos conſulebam; & nequid porrò illuſtrando Gratio *deeſſet, Criticos illuſtriores percenſui,* Salmaſium, Turnebum, Gronovium, Voſſium, Heinſium, *alioſque: Solus verò* Gronovius *mihi aſtitit certiſſimus ille Veterum reſtitutor; utcunque enim multa* Heinſius *tentaverat in notis paſſim* Ovidianis, *vix unquam, præ feſtinatione (credo) nimiâ, ſaniorem reliquit* Gratium.

Nemeſianum, *perpetuum* Gratii *comitem, &* Fracaſtorii Alconem, *hos ſanè rebus ipſis, (quià aliter ſua libro non conſtaret moles) & bibliopolæ conſilio perſuaſus evulgavi. Non inconcinni illi quidem, utcunque* Gratio *longè inferiores.* Nemeſiano *autem notas adjicere placuit, partim* Vlitianas, *partim noſtras. Qui verò ſequuntur libri, quià incredibili erant pretio, & rem præſentem aliquo modo illuſtrare*

illustrare possent, adjungendos non incommodè judicavi. Ut verò ego diligentis saltem egi, tu quoque Lector candidi benevolique partes age : ea enim debetur Lectori reverentia, quæ à temerè ineptiendo deterreat, is verò Scriptori candor, qui diligentiam modestiamque alat.

GRATII

GRATII FALISCI CYNEGETICON.

LIBER I.

* Gratii Cynegeticon.

ANNOTATIONES.

* Ità Pithœus. Gratii de Venatione, ſeu Κυνηγετικῶν Liber. Edit. Georgii Logi.

Rectiùs alii ex Autographo ediderunt, Cynegeticon, puta opus. ut κυνηγετικὸς liber Xenophonti utrique : *Vlitius.*

Gratius Cynegetico ſuo totam κυνηγεσίαν, ſed ſtrictim complexus eſt, ut nihil deſiderari poſſit. Imprimis retia quàm aptè exorditur ! lina iis conficiendis deligit : uſumque eorum ex punità priſcorum temeritate neceſſarium eſſe oſtendit ; deinde formidinem, tendiculas exactè abſolvit : Paucis etiàm verſibus quantum jaculorum agmen conſcribit ! atque ità ſtatim ad ipſam κυνηγεσίαν validè armatum Venatorem perducit, quæ, quia prima illa canum, non ulla per artes cura prior, meritò nomen huic inſtituto dedit. *Vlit.*

DONA cano Divûm, lætas venantibus artes;
Auſpicio, Diana, tuo. Priùs omnis in armis
Spes fuit, & nudâ ſylvas virtute movebant
Inconſulti homines; Vitâque erat error in omni.
Poſt aliâ propiore viâ, meliuſque profecti,
Te ſociam, Ratio, rebus ſumpſere gerendis.

ANNOTATIONES.

1. *Dona.*] Ità ſuum Κυνηγετικὸν inchoavit Xenophon. τὸ μὲν εὕρημα θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος, ἄγραι καὶ Κύνες. & omnes ſanè artium inventores inter deos relati erant.

Lætas.] Jul. Scaliger mavult *placidas.* fruſtrà. Vlitius retinet, ſed malè explicat; ideò enim *lætas venantibus* dicit Gratius, quia temeraria & nuda virtus illis olim obſuerat. Hinc v. 65. teſtatur,

Quam magnâ mercede meo
ſine munere ſylvas
Impulerint ———

2, 3. *Auſpicio.*] Tuo ductu & favore. *Priùs.*] Olim tota in telis fiducia mortalibus erat. *Nudâ.*] Solâ *Turnebus.* potiùs, nullis artibus munitâ. *Movebant.*] v. 75. eodem ſenſu. *ſylvas impellere,* i. e. ſylveſtres feras excitare. Arrian. de Ven. c. 3. Κατακινεῖν.

4. *Vitâ.*] In omni vitæ inſtitutione. Ter. Sc. 1. Act. 1.

Sic vita erat ———
Nam rudis ante illos nullo
diſcrimine vita.

Manil. l. 1. v. 98.

5. *Aliâ.*] Legendum fortè *Alii,* nam mihi ſanè friget iſtud *Aliâ. Profecti.*] Appoſitè ad præcedens *viâ.*

6. *Sociam.*] Locutio è caſtris ſumpta, ut & *Rebus gerendis.* Quam alluſionem ſervant & v. 7. *Auxilium,* & *Ordo,* Τάξις,

Hinc

Hinc omne auxilium vitæ, rectuſque reluxit
Ordo: & contiguas didicere ex artibus artes
Proferre. Hinc demens cecidit violentia retrò.
Sed primum Auſpicium Deus artibus, altaq; circum
Firmamenta dedit. tum partes quiſque ſecutus 11

ANNOTATIONES.

quin & *proferre. fines proferet Imperii.*

7. *Hinc.*] Ex Ratione omnia Vitæ auxilia provenêre,& recta rerum agendarum methodus eluxit.

8. *Contiguas.*] Cicero pro Archiâ Poetâ ſtatim ab initio. *Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem ſpectant, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quâdam inter ſe continentur.*

9. *Proferre.*] Legitur *Proſerere.* quam lectionem Manilius confirmat.

——— *Artes*
Semper enim ex aliis alias proſeminat uſus.

v. 121. l. 1. longè impenſiùs tamen mihi altera arridet; eundem enim imaginum tenorem ſervat, nec à caſtris ad agros & ſata nimis deſultoriâ levitate Lectorem amandat.

Demens.] Inconſulta, temeraria. *Cecidit retrò.*] Victa & profligata ex acie ceſſit.

10. *Auſpicium.*] Quia rerum agendarum initium capiebant Romani ab auſpiciis, hinc *Auſpicium* ſignificat, initium rerum, & quidem felix; ut ex hoc loco patet.

Deus.] Fœminini generis. Dianam enim intelligit. Ità Græcè. ἡ Θεός.

11. *Firmam.*] Inſtrumenta & reperta auxilia tanquam fulcimenta aliqua adhibuit. *Vlt. Secutus.*] Sic omnes libri. at Heinſ. ad Ov. Met. l. 4. v. 212. legit.

——— *quiſque ſecuti.*

eleganter.

Nomine quemque vocatos
exhortatur equos.

ibidem.

Exegere ſuas, tetigitque Induſtria finem.
Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Quà primam quærebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis, orbemque hâc ſolvere noxâ.
Aſcivere tuo comites ſub nomine Divæ,
Centum omnes nemorum, centum de fontibus omnes
Naiades, & Latii cultor qui Faunus amœni;

ANNOTATIONES.

12. *Exegere.*] Ab Hippodromo, ut & *tetigit finem.* Ov. Met. l. 1. v. 118. ſpatiis exegit quatuor annum, **drove out the year at four heats.**

13. *Trepidam.*] Propter bellum feris illatum obnoxiam & ſolicitam. Venatio πολεμικὴ intelligitur.

14. *Quærebat.*] Quà ex parte homines & tuam orabant opem & maximè egebant. Hìc enim mihi aſſequi velle videtur Gratius duplicem ſenſum τῶ ἔχειν.

15. *Orbem.*] Humanum genus hâc peſte liberare.

16. *Aſcivere.*] Heinſius. Ov. Faſt. 1. v. 512.

Aſcitæque tuæ comites ſub numine.

at nullus ſuffragatur codex, & *aſcivere* benè ſe habet. adjunxere ſe. *Nomine.*] Sic. omnes libri. at Barthius *numine.* Heinſio aſſentiente. ego tamen veterem lectionem retinendam cenſeo. Nam & ſic Ovid. de arte amandi lib. 1. v. 193.

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes.

Quin & Legiones nomina imperatorum gerebant, & milites *Gabiniani* & *Sertoriani* fortiter pro receptâ lectione ſtant.

17. *Centum omnes.*] **full a hundred.** ità Græci. Moſchus in Amore fugitivo. ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν. V. Callimachum in Hymno Dianæ.

Mena-

Mænaliuſque puer, domitrixque Idæa leonum
Mater, & inculto Sylvanus termite gaudens.
His ego præſidibus noſtram defendere ſortem
Contra mille feras, & non ſine carmine, niſus,
Carmine & arma dabo venanti, & perſequar artem
Armorum; caſſeſque, plagarumque ordiar aſtus.

ANNOTATIONES.

19. *Mænaliuſque.*] Pan Arcadicus. Ità Virg. de Oſyri. *uncique Puer monſtrator aratri. Pueri* paſſim minorum iſti gentium Dii vocabantur. Vetus Lapis Romæ *Bono Deo Puero Phoſphoro.* Vlitius.

Domitrix.] Ov. Faſt. 4. 215.

——*cur huic genus acre leones,*
Præbent inſolitas ad juga curva jubas?
——*feritas mollita per illam*
Creditur; id curru teſtificata ſuo eſt.

20. *Inculto.*] Ità Virg. *Teneram ab radice ferens S. cupreſſum.*

22. *Niſus.*] Vlitio ità hunc locum conſtituenti dudum eſt ex quo aſſenſum præbui: neque enim in omnes verſanti mihi partes quicquam melius occurrit. lege modo, *at non ſine carmine.*

23. *venanti, &.*] Vlitii conjectura. nam Logi editio ità hos verſus,

Carmine & arma dabo & venandi perſequar artes
Armorum, caſſeſque, plagarumque ordiar aſtus.

Quam conjecturam unicè firmat Ovidianum illud.

Aptaque venanti Gratius arma daret.

Artes.] Non aliter Xenoph. φράσω καὶ αὐτὰ καὶ ὑπομνήμην ἐκθήσω.

24. *Ordiar.*] Ingeniosè, ad caſſes enim alludit. *Ordiri* utramque vim habet narrandi & texendi.

De Retibus conficiendis.

Prima jubent tenui naſcentem jungere filo
Limbum & quadruplices tormento aſtringere limbos.
Illa operum patiens, illa usûs linea longi.
Tunc ipſum medio caſſem qui naſcitur ore,

ANNOTATIONES.

25. *Prima.*] Locus difficillimus. En Vlitianam tibi explicationem. Peridromum, *i. e.* limbum jubet circumvoluto annulatim filo retis oræ apponi, eoque tenui, ut commodè hâc illâc contrahi aut expandi rete poſſit. tum præcipit Gratius limbos, *i. e.* fila linea quadruplici nodo aſtringi in quadrangulas maculas; ſic limbi illi, *i e.* fila linea & συνεχδοχικῶς rete erunt usûs longi. Quod ad caſſem ipſum, qui ſequitur, mediam partem retis ſignificare contendit. atque ità ſex totis paginis, doctis, Jupiter, & laborioſis, rem confectam habes. at hoc eſt ſpeciè doctrinæ placare ignorantiam. Quid ad hæc autem tu? inquies. pauca ſanè, neque enim fidenter me expedio.

25. 26. 27. Nihil itaque ultra hiſce tribus verſibus mihi videtur ſignificari; quam modus conficiendi lineam retibus aptam. Qualis demum foret illa operum patiens & usûs longi? nempe quæ conſtat quatuor limbis torquendo aſtrictis. limbus autem eſt funiculus tenuibus lini filis inter ſe plexis confectus. Imprimis igitur jubent Artifices tenui lino funiculum & ex quatuor funiculis machinâ tortili aſtrictis lineam conficere, nec te tua cura refellet inter opus. *Prima.*] Imprimis, græcè τὰ πρῶτα, at ipſum caſſem, qui hiat medio ore circumlaqueare oportet per ſenos ſinus, uſque ut cavitate ſuâ totam feram hoſtilem, quantumvis magnam contineat includatque.

Per

Per ſenos circum uſque ſinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, ſi quiſquam eſt plurimus, hoſtem,
Et bis vicenos ſpatium prætendere paſſus

ANNOTATIONES.

29. *Laqueabis.*] Nodis aſtringes, Anglicè, **Weth.** futurum indicativi vice imperativi ponitur. ita Græci paſsim. Longinus, περὶ ὕψους, pag. 1. αὐτὸς δ' ἡμῖν συνεπικεινεῖς ἀληθέσθαι. *Sinus.*] Waſæus noſtras explicat *ſenos ſinus*, by ſix **Tunnels**. At caſſis unam tantùm cavitatem habebat, quam Gratius *Tergum* vocat.

Sinus pro maculis poſuit, quas à medio ore retis, ubi caſſis naſcitur, uſque ubi anguſtiis ſuis terminatur, ſex numerat. *Vlitius.*

Caſſem, apud Pollucem hoc modo deſcriptum habes. ἔστι δὲ ὁ βόχος τὸ συνεχὲς ὂν τοῖς δικτύοις τετράγωνον διάστημα συνεχὲς ἐκ τετράδων ἀμμάτων, ὅθεν, τεινομένης τῆς ἄρκυος, γίνεται ῥομβοειδές. δὲ ἕκαστον τούτων ἀνάθεσι σημεῖα, ὡς διεκπεσεῖσθαι. καὶ περὶ αὐτὸ ἐνορᾶσθαι ἁλίσκεσθαι. Eſt autem Caſſis, continuum illud in reti quadratum intervallum, quatuor conſtans nodis, quod tenſo reti, Rhombi in morem extenditur, per quod, ceu perrupturæ, capita feræ inſerunt, & impeditæ capiuntur.

Hic itaque mihi videtur verborum ſenſus. Ipſum caſſem circumlaqueare oportet per ſenos ſinus, *i. e.* **ſix Pannels**, quorum unuſquiſque validiori fune ab invicem disjunctus erat & munitus. Ita caſſis ſexangularis erit.

30. *Plurimus.*] Hîc pro *maximus* ponitur. de uno tantùm hoſte loquitur, & τὸ *Quiſquam* clarè indicat.

31. *Paſſus.*] Quoad paſſus. *Plenis.*] Non tranſverſas maculas numerat, quarum binæ plenam maculam unam æquant. Plenos ideò nodos expreſſit noſter, ne obliquos intelligamus. *Vlitius.*

Rete velim, pleniſque decem conſurgere nodis.
Ingrati majora ſinus impendia ſument.
Optima Cinyphiæ, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt. bonus Æoliâ de valle Sibyllæ
Fœtus, & aprico Tuſcorum ſtupea campo
Meſſis, contiguum ſorbens de flumine rorem;
Qua cultor Latii per opaca ſilentia Tibris

ANNOTATIONES.

32. *Conſurgere.*] In altitudinem extendi.

33. *Ingrati.*] Majores caſſes ſument majora impendia, & inutiles erunt. Quià, ut dicit Xenophon, ἐὰν μείζω δυσμεταχείριστα ἔσῃ.

34. *Cinyphiæ.*] Κίνυψ fluvius inter Syrtes, Strabo 835. *p.* Cinyps fluvius per uberrima arva decidens. *Mela.* hinc Cinyphia ſeges. *Ovid.* Carthaginenſe linum laudatur Xenophonti, Polluci; nec longè abeſt Cinyps. *Vlit.*

35. *Æoliâ.*] Sic Logus edidit, ſic Pithœus. & nulla hîc Sibylla Æolica quærenda eſt. Vallis Sibyllæ eſt illa regio, quæ Cumis adjacet, ubi Æoles ex Cumâ Aſiatica ſedem fixerunt. hinc vocatur Æolica Vallis, ibi quoque reſponſa dabat Sibylla, quæ Cumæa dicta. Virg. l. 6. v. 42.

Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum.

Euboicæ; quia Eubœâ æquè ac Æoliâ oriundi erant Cumani. ad hæc Servius. eſt autem Acyrologia. Coloniæ enim Epitheton rei dedit immobili. Qui de colonià Æolenſium plura ſcire vult, adeat Strabonem & Salmaſ. ad Solinum.

37. *Rorem.*] Pingui, humido, non arido ſolo linum gaudere omnes clamant Rei R. Scriptores. *Vlit.*

38. *Quà.*] Quâ parte Tibris, qui colit & fœ-

Labitur,

Labitur, inque ſinus magno venit ore marinos.
At contrà noſtris imbellia lina Faliſcis :
Hiſpanæque alio ſpectantur Sætabis uſu.
Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
Velatur ſonipes æſtivi turba Canopi.

ANNOTATIONES.

cundat Latium, per locos arboribus opacos tacitè labitur.

40. *Noſtris.*] *i. e.* noſtratibus. Gratius enim erat gente Faliſcorum oriundus.

Imbellia.] Bello ferino inepta, & retibus inutilia.

41. *Hiſpanæque*] *Hiſpanæque alio ſpectantur Setabis uſu* ſubaud. *lina.* Ità hunc locum optimè conſtituit Voſſius ad Catullum. p. 36. dicit lina, quæ proveniunt in Setabi Hiſpanâ non eſſe apta retibus texendis, ideoque aliis uſibus deſtinanda, nempe ſudariis & ſimilibus textis. olim *Hiſpani Setabes.*

42, 43. *Vix operata.*] Ἡ πολύφορος turba Canopi æſtivi & fervidi rem faciens divinam ad ſacra Diania vix velatur ſuo lino.

42. *Operata.*] Gloſſæ. operari, ἐεργάζεῖν, ἐεργατεῖν. Ità *facere* abſolutè ponitur. ῥέζειν Græcè. Virgil. lætis operatus in herbis.

Bubaſtia.] Diania. Ægyptiis Diana vocatur Bubaſtis. Herodot. L. 2. Sect. 156. *Vlitius.*

43. *Sonipes.*] Turba tripudians. Salmaſius ad Solinum. p. 702. Sonipedes, qui pede ſcabillum ſonabant. Interpres Statii. Scabillum, quod in ſacris pede ſonare conſueverunt. ubi plura de hâc re.

Æſtivi.] Salmaſius *feſtivi.* nec diſplicebat Vlitio. at in ſecundis curis loco motum revocat, & ſtrenuè confirmat. Nam Claudian. Nilum Æſtivum, Martial. tepidum.

Ipſe

Ipſe in materiâ damnoſus candor inerti
Oſtendit longè fraudem, atque exterruit hoſtes.
At pauper rigui cuſtos Alabandicus horti
Cannabias nutrit ſylvas, quàm commoda noſtro
Armamenta operi: gravis eſt tutela ſed illis.
Tu licèt Hæmonios includas retibus urſos,
Tantum ne ſubeat vitiorum peſſimus humor
Ante cave: non eſt humentibus uſus in armis,

ANNOTATIONES.

Lucan. calentem. & ſanè reſtitutum gaudeo. Nam Æſtus ille in causâ erat cur turba ſonipes vix velari deberent ſuo lino, & quare tenuiſſimum & alerent, & veſtibus texendis eligerent; eique adeo uſui Gratius relinquendum cenſet.

44. *Inerti.*] Noſtræ arti, *i. e.* venationi ineptâ. Candorem improbat & tenuitatem.

45. *Oſtendit.*] Idem ſignificat, quod, ſolet oſtendere, & ſolet exterrere. Vim habet Græci Aoriſti. Turnebus *exterritat hoſtis.* Logi Edit. *exterritur hoſtis.* ἀψαυκῶς. non malè.

46. *Alabandicus.*] Plin. lib. 19. cap. 9. *Cannabis Alabandica optima plagarum præcipuè uſibus.* Vlit.

47. *Cannabias.*] Denſam Cannabis ſegetem vocat *ſylvas Cannabias.*

48. *Armamenta.*] Arma, inſtrumenta, vaſa. paſſim. ſic Græci ὅπλα.

Tutela.] At difficile eſt tueri illa.

49. *Hæmonios.*] Theſſalicos. maximos & ferociſſimos.

Retibus.] Logi Edit. *ſentibus.* quam lectionem tuetur Vlitius. fruſtrà. jam enim de retibus agitur.

Nulla

Nulla fides: ergo, (ſeu preſsâ flumina valle,
Inter opus, clauſæque malum fecere paludes:
Sive improviſus cœlo perfuderit imber,)
Illa vel ad flatus Helices oppande ſerenæ,
Vel caligineo laxanda reponito fumo.
Idcirco & primas linorum tangere meſſes
Ante vetant, quam maturis accenderit annus

ANNOTATIONES.

52. *Preſsâ.*] Humili, depreſsâ.

53. *Opus.*] Dum retia tenſa ſint.

Clauſæque malum.] i. e. retibus clauſæ. ità lego, Barthium, Gronovium ſecutus. Turnebus conjecit. *craſſæque madeſe*: Pithœus *craſſæque udum*. Vlitius *cauſæque malum* defendit; & cauſam pro morbo inveniri apud medicos probare conatur. at mihi non probat.

55. *Flatus.*] Olim *fluctus*, nullo ſenſu. rectè Pithœus mutavit.

Helices.] Vlitius hîc ſilet. at Gronovius locum tibi explicatum dabit, L. 2. Obſerv. cap. 13. *Helice ſerena*, eſt Boreas αἰθρηγενέτης, ὁ αἰθρίας καὶ εὐδίας ἄνεμος. Ideò Ovidius diluvium commiſſurus.

——— *Æoliis Aquilonem claudit in antris*
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes.

Seneca. *Suppreſſis Aquilonibus & flatu ſicciore.* in ventum expandi vult retia, ſi humorem contraxerint, ſed eam regionem venti unde maximè aridus ſpirat.

56. *Laxanda.*] Gronovius *ſiccanda*. at nihil muto. retia enim eò laxiora, quo ſicciora.

57. *Idcirco.*] Hîc Vlitius Barthii erroribus ſemper imminens & infenſus ipſe videtur erraſſe. Nam priores octo verſus interpretatur, de lino nondum confecto, & de expanſio-

Ignibus,

Ignibus, & claro Pleias ſe prompſerit ortu.
Imbiberit, tantò reſpondet longiùs uſûi,
(Magnum opus) & tangi, niſi curâ vincitur, impar.
Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum
Semideos, illi aggeribus tentare ſuperbis,
Ire freta, & matres auſi tractare Deorum;

ANNOTATIONES.

ne cannabis recens evulſæ. At jam de retibus agit, ſub ſolito *armorum* nomine, monens cavendum eſſe ne humorem contrahant, & ſi forte contraxerint, ſiccanda eſſe vel ſole vel fumo. Quam ob rem vetant artifices ipſas linorum meſſes tangi, priuſquàm maturo æſtu ſiccaverit annus. Si enim linum imbiberit humorem, tanto ſerius reſpondebit uſui, *i. e.* uſui aptum erit, & fiet impar tangi, niſi curâ vincitur & vitium ſanatur. magnum hoc opus eſt.

59. *Pleias.*] Avienus Arati Paraphraſtes de Pleiadibus.

— nam ſi ſe gurgite tollunt
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies — Vlit.

60. *Imbiberit.*] Subau. ſi. fuit cum conjicerem, *Imber erit.* nec adhuc pœnitet me conjecturæ.

Longior.] MS. *Langor uſu.* Logi Edit. *longior orſu.* Pithœus è veteri codice, *longior uſu*, rectè pro *uſui.* Vlitius hunc locum ſic legit, *tanto deſpondet longius uſum.* Neſciebat ſcilicet, *tanto longiùs* idem valere quod tanto ſeriùs, tanto tardiùs, tanto longiùs à tempore demeſſionis.

62. *Fabula.*] Hiſtoria.

63. 64. *— illi aggeribus tentare ſuperbis,*
Iret freta matres auſit tractare Deorum.

Ità Pithœus. in Logi Edit. deeſt *Iret.* Grotius legendum conjicit,

Æthera, matronaſque auſi tractare —

Quàm

Quàm magnâ mercede, meo ſine munere ſylvas
Impulerint. flet adhuc, & porrò flebit Adonin
Victa Venus, ceciditque ſuis Ancæus in arvis
Ut prædexter erat, geminiſque ſecuribus ingens.

ANNOTATIONES.

Heinſius,

Æthera, tum matres auſi attrectare ——

Vlitius, *tentare* abſolutè ſumi credit, & *Ire freta*; tum *matres deorum* exponit feras deorum nutrices, & *tractare* pro vexare, affligere. detur & mihi conjiciendi locus: ſic itaque lego

—— *cœlum aggeribus tentare ſuperbis,*
Ire freta, & matres auſos tractare deorum.

Ire freta.] Ἐδωρήσατο γὰρ αὐτῷ Ποσειδὼν διαβαίνειν τὴν θάλασσαν. Apollod. Lib. 1. Cap. 4. Sect. 3. Oriona intelligit.

Matres.] Dianam, & Junonem.

Auſos.] Nempe Oriona *integræ tentatorem Dianæ.* Horatius L. 3. O. 4. & Ixiona.

65. *Mercede.*] *Merces* ἐκ τῶν μέσων eſt, & pœnam & præmium ſignificans. Phædrus.

Hæc merces fraudis à Superis datur.

----*quàm magnâ mercede,* quanto cum diſpendio.

Victa.] Gronovius. *icta.* nihil muto. Victa, *i. e.* dolore victa.

Arvis.] Heinſius ad Metam. Lib. 8. v. 313.

—— *Ceciditque ſuis Ancæus in armis.*

reſcribendum cenſet. Vulgò, inquit, circumfertur in arvis, quod manifeſto falſum. Arcas enim erat Ancæus, Lycurgi filius, & ab apro Calydonio in agris Ætolis occiſus. quomodo ergo ſuis in arvis? cui facilè aſſentior. Vide Apollodorum. Lib. 1. p. 30.

68. *Ut.*] Malo *at. Prædexter.*] Ἀμφιδέξιος, περιδέξιος. qui utrâque manu ut dextrâ utitur.

Geminiſque.] *Vlitius.* u-

Ipſe

Ipſe Deus, cultorque feri Tirynthius orbis,
Quem mare, quem tellus, quem præceps janua Ditis
Omnia tentantem, quà laus erat obvia, paſſi,
Hinc decus, & famæ primus patravit honorem.
Exige, ſiqua meis reſpondet ab artibus ergo
Gratia, quæ vires fallat collata ferinas.
Sunt, quib⁹ immundo decerptæ vulture plumæ
Inſtrumentum operis fuit, & non parva facultas.
Tantùm inter nivei jungantur vellera cygni,
Et ſatis armorum eſt. Hæc clarâ luce coruſcant

ANNOTATIONES.

trinque acutis. at *geminis* eſt duabus. ambidexter enim erat.

69. *Cultorque.*] Qui orbem ferum purgavit monſtris, Tyrannis, & animalibus noxiis.

70. *Mare.*] Erat enim Hercules ex numero Argonautarum.

71. *Quà.*] Unde laus parabilis erat. *Paſſi.*] Nullum hîc eſt ſubſtantivum cum quo cohæreat, aut igitur *paſſa*, pro paſſa ſunt, legendum ; aut *pavit*, i. e. timuit, formidavit, ut amicus me monuit.

72. *Primus.*] MS. *primum impetravit.* quod Heinſio placet, & merito.

73. *Exige.*] Diligentiùs itaque conſidera, ſiquis uſus, ſiqua demùm opera meis ab artibus oritur, quæ collata & quaſi commiſſa cum feris, earum vires eludat.

De Pinnatis Conficiendis.

76. *Facultas.*] Adjumentum ; quià reddit artem venandi faciliorem.

77. *Vellera.*] Anglicè **Down.**

78. *Clarâ.*] Claro ſole. Ità Waſæus noſtras. for-

Teſſibi-

Terribiles ſpecies: ab vulture dirus avaro
Turbat odor ſylvas: meliuſque alterna valet res.
Sed quàm clara tuis & pinguis pluma ſub armis,
Tam mollis tactu, & non ſit creberrima nexu:
Ne reprehenſa ſuis properantem linea pinnis
Implicet, atque ipſo mendoſa coarguat uſu.
Hic magis in cervos valuit metus. aſt ubi lentæ
Interdum Libyco fucantur ſandyce pinnæ,

ANNOTATIONES.

ſan ſuo nitore conſpicuo. pòſt, *clara & pinguis pluma.*

Coruſcant.] Huc illuc vibrant & emittunt. activè ſumitur.

81. *Turbat ſylvas.*] Sylveſtres feras longè arcet.

Alterna.] Plumæ cygni & vulturis alternatim junctæ.

82. *Pinguis.*] Ampla, fair grown.

83. *Reprenſa.*] Ne formido ſuarum pinnarum denſitate impedita moretur te properantem, & ipſo in opere mendoſa ſerò deprehenſa coarguat te inſcitiæ.

85. *Metus.*] Qui & *Formido* vocatur. ab effectu. Pinnatum enim eſt inſtrumentum linea & pinnis conſtans, ad terrendas feras factum.

Lentæ.] Molles tactu.

86. *Fucantur.*] *i. e.* Colorantur. Nam *fucus* pro colore. Gloſſæ: *fucus* χρῶμα. Salmaſ. ad Solin. 804. G.

Sandyce.] Vetus auctor Gloſſarum dicit, *Sandycem eſſe herbam tinturæ aptam. rubri coloris.* adi Salmaſ. ad Solin. 810. E. ubi ex Plinio, Galeno, &c. multa de Sandyce invenies.

Lineaque

Lineaque extructis lucent anconibus arma :
Rarum, ſiqua metus eludat bellua falſos:
Nam fuit & laqueis aliquis curracibus uſus :
Cervino juſſere magis contexere nervo ; 90

ANNOTATIONES.

87. *Linea Arma.*] Omninò de formidine accipienda, & *linea arma* ſunt funis ex lino, ut ſieri oſtendi, plexus. quam lineam ſtatim vocabat. *Vlitius.*

Extructis.] Barthius, *ex tritis* (ità codicem ſuum habere) anconibus lucere retia, vel *extritis*, ut vulgo, valdè tritis eſſe, & reſpondere lineis lucentibus. Ego nullus dubito veram eſſe lectionem, quam dedi à clariſſimo Gronovio in orâ libri ſui adnotatam dudum, & erectis furcillis injectam formidinem intelligendam. Ancones enim furcillæ ſunt, quarum in ſummo cornua bina ſunt ἀγκῶνα ſive cubitum referentia. *Vlitius.*

89. *Nam fuit.*] Fuit olim, fateor, aliquis etiam laqueis curracibus uſus ; quibus contexendis cervinum penem utpote aptimè utilem deſtinabant artifices. fraus enim celata & latens ſub conſimilis feræ ſpecie teget venatoris inſidias. Quid de illo cenſes, qui pedicas dentibus ferreis ligneiſque introrſum extantibus compactas paloque iligno nexas clauſit foveâ ? Utrumque in deſuetudinem abiit, & meritò. Sæpe enim prædam alieno labore partam ſimul cum ipſis inſtrumentis aufert imprudens.

Curracibus.] Laqueos curraces vocat, ut & nos nodum curracem, qui facilè currunt currenteque nodo illaqueant. *Turnebus.* Lib. 26. cap. 19.

90. *Cervino.*] Ne cervus fraudem & alienum odorem, ſi ex alio nervo, vel lino ſint, percipiat. *Vlit.*

Fraus

Fraus teget insidias, habitu mentita ferino.
Quid qui dentatas iligno robore clausit
Venator pedicas? cum dissimulantibus armis
Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris.
O felix, tantis quem primum Industria rebus
Prodidit auctorem! Deus ille, an proxima Divos
Mens fuit, in cœcas aciem quæ magna tenebras
Egit, & ignarum perfudit lumine Vulgus?
Dic age, Pierio, (fas est) Diana, ministro.
Arcadium stat fama senem, quem Mænalus altor

ANNOTATIONES.

92. *Quid qui.*] Sensus est; uti aliquos laqueis curacibus solis, ideoque feram illorum laqueis implicitam nullo relicto fugæ suæ vestigio, quia palus deest, sæpe in alienas inopinantis manus incidere. Quid qui igitur lignum robur, *i. e.* palum pedicis suis adhibuit, an non certius agit? *Vitius.* utrumque mihi improbare videtur Gratius. Neque enim satis video, quî iste palus pedicis adnexus impediret quo minùs præda in manus inopinantis incideret.

96. *Prodidit.*] In lucem produxit. *Divos.*] Heinsius, *Divis*; Turnebus, *Divo.* at nullâ mutatione opus est.

100. *Stat.*] Gronovius, *Dat.* Turnebus, *Scit.* ego tamen nihil temerè mutandum censeo. Hæc enim loci est sententia. constans adhuc est fama Arcadium illum senem nempe Dercylon egisse aciem in has artes olim incognitas & ignarum vulgus suo lumine illustrâsse.

Altor.] Hanc Turnebi

Et Lacedæmoniæ primum vidiſtis Amyclæ
Per non aſſuetas metantem retia valles,
Dercylon. Haud illo quiſquam ſe juſtior egit,
Aut fuit in terris divûm obſervantior alter.
Ergò illum primis nemorum Dea finxit in annis,
Auctoremque operi dignata inſcribere magno,
Juſſit adire ſuas, & pandere gentibus artes.
Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus. tum ſtricta verutis

ANNOTATIONES.

emendationem textui non dubitabam inſerere contrà omnes codices, qui *Auctor* nullo ſenſu habebant.

105. *Primis.*] Primis illis temporibus. *Vlitius.* Malo, ab ipsâ juventute. ut ex *finxit* manifeſtum eſt. *udum & molle lutum es, nunc nunc fingendus.*

107. *Adire.*] Tanquam myſteria.

108. *Ille.*] Idem ille etiam primus armavit haſtilia venatoria cuſpide ferreâ, & inhibens vehementiam vulneris deorſum acti, alis utrinque extantibus cujuſvis feræ irruentis onus excepit & moratus eſt.

109. *Proni.*] Deorſum acti. peſſimè hunc verſum interpretatus eſt Vlitius, qui per *pronum vulnus* feram prono pectore in telum irruentem ſignificari contendit.

110. *Moris.*] Αἱ ἐκτὸς ὀδόντες περόναι. V. Pollucem.

Tum.] Deinde etiam haſtilia, ſtrictâ cortice, ſubiere furcas geminas dentibus in morem veruti inſtructas.

Dentibus

Dentibus & geminas ſubiere haſtilia furcas.
Et quidam totos clauſerunt enſibus orbes,
Ne ceſſaret iners in vulnere maſſa ferino.

ANNOTATIONES.

112. *Totos.*] Idem eſt ac ſi dixiſſet *totis clauſerunt enſibus orbes.* Τὸ *enſibus* tertii caſus eſt, vel pro in *enſibus*, *claudere* eſt circumdare. *toti orbes* ſunt qui cuſpides totas circumeunt, cum furcæ tantum ab uno vel altero latere extent. Orbes autem aliqui adhibuerunt, ut eò validiùs irruentem feram exciperent, & maſſa tota illa certius onus ſuſtineret, quam dentalia, quæ forſan nimium intrare, vel aliquo caſu rumpi poterant. *Vlitius.* Vlitianam explicationem hiſce verſibus poſſe elici nullo modo crediderim. Nam quid, quæſo iſtâ Hypallage durius fingi poteſt? aut quis unquam Gratianum illud,

Ne ceſſaret iners in vulnere maſſa ferino,

rectè judicabit exprimi per illa Vlitiana, *ut eò validius irruentem feram exciperent, & maſſa illa tota certius onus ſuſtineret.* Hæc mihi videtur Gratii mens. Quidam induxerunt tota haſtilia rotunda laminis ferreis, ne iners ligni maſſa in fero vulnerando ceſſaret, & minùs altè adigeretur. Dercylus quidem moderatus eſt proni vulneris iram moris utrinque extantibus; alii è contrà veriti, ne vulnus minus altè adigeretur, totum haſtile enſibus circumdant: Tu vero fuge blanditias, inquit Gratius, vagæ novitatis.

Hæc venabula vocabantur ὁλοσίδηρα. Heſychius. σιγύνες, ξυστὰ δόρατα, ἢ τοὺ ὁλοσιδήρους ἄκοντας. quibus tamen ſciens videnſque obviam it *Vlitius.*

Blandimenta vagæ fugies novitatis; ibidem
Exiguo nimiove nocent. ſed lubricus errat
Mos, & ab expertis feſtinant uſibus omnes.
Quid, Macetûm immenſos libeat ſi dicere contos,
Quàm longa exigui ſpicant haſtilia dentes?
Aut contrà ut tenero deſtrictas cortice virgas
Prægravat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia tela modi meliùs finxere ſalubres.

ANNOTATIONES.

114. *Fugies.*] V. Not. ad v. 29.

Ibidem.] Interpunctionem mutavi & conjunxi *ibidem* cum ſequentibus *exiguo*, &c. *ibidem* enim idem valet ac, *in illâ re*, nempe venatione. peccatur itaque, inquit Gratius, in venando, ſi vel nimia vel exigua ſit venabuli cuſpis. alioqui languet ſententia.

115. *Exiguo.*] Venationi inepta ſunt haſtilia, quibus vel nimia, vel perexigua ſit, cuſpis.

117. *Macetûm.*] Macedonum. Macedonia vocatur & *Macetia*. Hinc *Macetæ*.

Contos.] Sariſſæ à Maced. vocantur.

118. *Spicant.*] Virgil. *Ferroque faces inſpicat acuto.*

118. *Deſtrictas.*] Diſtrictas libri malè.

120. *Lucania.*] Vet. C. *Livania.* unde Pithœus legendum conjecit *Lucania.* rectè. Hor.

Tu nive Lucaná dormis or
creatus, ut aprum,
Cœnem ego——

quam conjecturam diſertè confirmat MS. Thuanæus. *Vlitius.* Urſi Lucani paſſim occurrunt.

121. *Salubres.*] Mediocritas, unde ſua rebus conſtat ſanitas, uſus denique ſuus. Vlitius exponit temperatos. & Plinium ſuum mellitiſſimum trahit in

Quocircà

Quocircà & jaculis habilem perpendimus uſum,
Neu leve vulnus eat, neu ſit brevis impetus illi.
Ipſa arcu Lyciâque ſuas Diana pharetrâ
Armavit comites; ne tela relinquite Divæ,
Magnum opus & volucres quondam fecere ſagittæ.
Diſce agedùm & validis delectum haſtilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus, & umbroſæ Veneris per littora Myrtus,

ANNOTATIONES.

partes, invitum ſiquid ego ſentio.

122. *Quocircà.*] Ad hæc verba ſic Gronov. Obſer. l. 2. c. 13. Quid ſit hîc *perpendere uſum habilem jaculis*, aut ubicunque ſit, juxta intelligo. Suſpicor fuiſſe

Quocirca & jaculis habiles præbebimus uſum
Ni leve vulnus eat, neu ſit brevis impetus illi.

Etiam jaculo habili inſtructi venationi utiles erimus, modo ne ſit tale jaculum, quod nimis aut leve vulnus faciat, aut impetum per breve ſpatium perferat. Modum armis Venatoriis præſcripſerat, eum & in jaculis exigit.

Vide tamen, annon verbis, ut nunc ſunt, non inconcinnus inſit ſenſus. Quià itaque modus omnia tela meliùs fingit, idcirco librando examinamus uſum jaculis accommodum, eo fine ut nec leve vulnus eat, nec ſit brevis impetus illi. Nempe vulneri. *Vulnus* enim pro telo vulnifico poni videtur. ut. v. 109.

127. *Delectum.*] Nempe arborum, ex quibus fiant haſtilia.

129. *Cornus.*] Virgil.

——*bona bello cornus.*

Myrtus.] Quartæ declinationis. Arbor Veneri

Taxique, pinusque, Altinatesque genistæ,
Et magis in-comptus operæ Lutoser agrestis

ANNOTATIONES.

sacra ripis gaudens. Auctor Geoponic. de myrto loquens. καὶ πρὸς τὰ ἀκόντια ἐπιτηδείως ἔχει. V. Virgil. Georgic. 2.

130. *Taxique.*] Silius taxum pro jaculo posuit. L. 13. *Auras secat Itala Taxus.*

Genistæ.] Genus fruticis illa quidem; inter arbores verò numeratur à Plinio, & nonnullis in locis credibile est eam ad instar arboris excrescere.

131. *Et magis.*] Cod. MS. ità hunc versum exhibet,

——*incomptos opera lutores agestis.*

Gronov. ad marginem libri sui. *in comptûs* adnotârat. unde legendum conjecit Vlitius

Et magis in comptûs operæ cupressus agrestis.

Ex cupresso enim *radios trivere rotis*, &c. Virg. Georg. 2. Vel

——*incomptus operæ cupressus agrestis Termes.*

Salmasius.

——*incomptus operæ loti sed agrestis Termes.*

Locus sanè deploratissimus; cui tamen variis conjecturis medicinam facere tentavi, quæ, si non rem attingant, sagacioribus tamen feliciùs agendi ansam præbeant. Accipe igitur.

Et magis in contos apro Lotaster agresti Termes.

MS. *incomtos.* quod non longè abest ab *in contos.* MS. *opera.* quod & inverso literarum ordine fiet *apro. Lotaster.* verbum quidem insolens & tamen ex analogiâ linguæ Latinæ depromptum, ut *Pinaster, Oleaster.* & nullo non loco ab exscriptoribus erratum fuit, ubi hoc verbum *Lotos* occurrit. ut Heinsius apud Ovid. passim ostendit. Sensus itaque hic est. Et Lotaster termes in contos apro agresti (ὗς ἄγριος) excipiendo idoneus.

Termes,

Termes, ab eois deſcendet virga Sabæis,
Mater odorati multùm pulcherrima thuris.
Illa ſuos uſus, intractatumque decorem
(Sic nemorum juſſere Deæ) natalibus haurit
Arbitriis. at enim multo ſunt ficta labore

ANNOTATIONES.

Et magis in cultros opera Lotaſter agreſti Termes. Unde iſtud *in cultros*, inquies? errore ſcriptum fuit, *incultos*, hinc incomptos, Gloſſema: quod in textum irrepſit tandem. Et Lotaſter inſignis ſuâ in rebus ruſticis operâ deligitur magis in cultros capulis armandos. quià, ut Plinius dicit, capuli cultris è loto fiebant.

Et magis in cantus operati Lotos agreſtis Termes. vel,

—in cantus loti prælatus agreſtes Termes. tibiæ enim è loto. Una adhuc ſupereſt conjectura.

Et magis in contos oleæ prælatus agreſtis Termes. *Termes* enim proprium eſt rami oleagini nomen. Ipſa quoque olea, his uſibus deſtinata olim fuit. de clava enim Cyclopis ſic Homerus.

Κύκλωπος μὲν ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ σηκῷ
Χλωρὸν ἐλαίνεον.—

Monendus es hoc unum, Lector, quod Vlitium latuit, *Termes* nullo modo poſſe conſtrui cum *Virga*. *Virga* enim illa thurea naturâ haſtilibus idonea eſt: cum tamen *Termes* (cujuſcunque demum arboris ſit) nunquam ſponte ſuâ procerus ad aera exiit, ut in ſequentibus diſertè Gratius.

132. *Deſcendet.*] Omnes libri. deſcendet.

134. *Intractatumque.*] Non arte fictum, ſed naturalem.

136. *Arbitriis.*] Ipsâ naſcendi lege.

Cætera, quæ ſylvis errant haſtilia noſtris.
Nunquàm ſponte ſuâ procerus ad aera termes
Exiit, inque ipsâ curvantur ſtirpe geniſtæ.
Ergò age luxuriam primo, fœtuſque nocentes
Detrahe: frondoſas gravat indulgentia ſylvas.
Poſt ubi proceris generoſa ſtirpibus arbor
Se dederit, tereteſque ferent ad ſidera virgæ;
Stringe notas circùm, & gemmantes exige verſus.
His, ſiquis vitium nociturus ſufficit humor,
Ulceribus fluet, & venas durabit inertes.
In quinos ſublata pedes haſtilia plenâ

ANNOTATIONES.

140. *Luxuriam.*] Intempeſtivam ſurculorum abundantiam.

141. *Indulgentiam.*] Si luxuriæ ramorum indulſeris, nec maturè putaveris, gravatur arbor frondibus, & nodoſa curvaque evadit.

143. *Se dederit.*] Evexerit ſe, & quaſi conſpiciendam dederit.

144. *Notas.*] Aliter *comas*. V. Georg. v. 368. *ſtringe comas*. at vide ne legendum ſit, *Nothas*, i. e. ſpurias virgas. ut amicus meus monuit legendum, & impensè arridet.

Verſus.] Aldin. *Verſu.* malè. Ordines ramorum gemmantium ità diſpone, ut exactè creſcant, & haſtile reddant elegantius. Plin. Lib. 15. Cap. 29. *Senis foliorum verſibus.*

147. *Plenâ.*] Cum eò craſſitudinis venerint, ut manum impleant amplectentem. a handful thick.

Cæde

Cæde manu, dum pomiferis advertitur Annus
Frondibus, & tepidos Autumnus continet imbres.
Sed cur exiguis tantos in partibus orbes

ANNOTATIONES.

148. *Dum pomiferis advertitur.*] Nihil ad hæc *Vlitius.* At ego mendum hîc ſubeſſe ſuſpicor. Non enim Annus dicitur *adverti* ſub Autumno, potius *averti*; quin & *frondes* dici *promiferas* durius vereor ne ſit: & receptæ lectioni tempus cædendæ materiæ præſcriptum adverſatur: *Columel.* L. 4. C. 10. *Optima & maximè naturalis putatio eſt Autumnalis, quo tempore divinâ quâdam lege & æternâ fructum cum fronde ſtirpes deponunt.* Quin & Palladius. November *Nunc materies ad fabricam cædenda, cum Luna decreſcit.* Aldina Editio omnium vetuſtiſſima exhibet. *Promiſeris.* unde ſic locum conſtituendum cenſeo.

——*pronus ſeris dum*
avertitur Annus
Frondibus——

Eliſâ priori S, ob ſequentem, remanſit *pronu ſeris.* hinc orta eſt illa vox *poniferis*: nam ductus literarum *Mi* iidem ſunt cum *Nu.* cæteræ variationes facillimæ. Hæc itaque loci ſententia eſt. Cum jam Annus prono latus curſu frondibus ſeris aridiſque, (ſic Ovid.

Ut ſeræ frondes, quas nova
læſit hyems.)

vultus avertit, & Autumnus non amplius fundit tepidos imbres. Exitum Autumni deſcriptum voluit. De tempore cædendis arboribus idoneo, V. Heſiod. Ἔργα καὶ ἡμέραι, ab v. 414. ad 422.

150. *Sed cur exiguis.*] Quid tantum ſpatii in minutis illis, utcunque neceſſariis, conſumimus? Ità Vlitius. At Gronovius Obſervat. L. 2. C. 3. Mihi ſedet *partes* dixiſſe Gratium pro regionibus, ut Cæſar. L. 1. de bello Gallico, in eam *partem* ituros, atque ibi futuros

Luſtra-

Luſtramus? Prima illa canum: non ulla per artes
Cura prior, ſive indomitos vehementior hoſtes
Nudo Marte premas, ſeu bellum ex arte miniſtres.
Mille canum patriæ, ductique ab origine mores
Cuique ſuâ magna indocilis dat prælia Medus,

ANNOTATIONES.

Helvetios, ubi Cæſar conſtituebat. Iterum, in eas *partes* Galliæ, &c. itaque ſcriptum fuiſſe puto,

——— *exiguos tantis in partibus Orbes.*

Qui in copiosâ materiâ intra minimam ejus partem moratur diu, is in magno campo ducit exiguos orbes.

151. *Luſtramus.*] Log. Edit. *luſtramur* habet. quod placet.

Prima.] *i.e.* prima pars. prima regio, eaque ampliſſima, in deſcriptione regni venatici. Si enim prima penderet ex *cura*, vereor ne frigidiſſimus fieret ſenſus. Nam ſi cura canum prima eſt, fatearis neceſſe eſt, nullam illâ priorem eſſe. quorſum igitur illa inſulſa confirmatio?

Per artes.] *i.e.* per omnem venationem. Nam *artes* ſemper vocantur à Gratio, quoties venationem in genere intelligit. *Vlitius.*

152. *Prior.*]

Nec tibi cura canum fuerit poſtrema ———

Virgil. Georgic. 3. v. 404.

Sive.] Sive nudâ virtute cum feris indomitis agendum, ſeu bellum dolo adminiſtrandum eſt. Utranque venationem, πολεμικὴν, & ἰχνευτικὴν deſcribit.

154. *Origine.*] Unde oriundi ſunt, ſuos quiſque derivat mores. parum refert patriam an proavos intelligas.

155. *Indocilis.*] Nullius artis capax.

Dat.] Prior aggreditur hoſtem, non irruentem expectat.

Prælia.] Perpetua alluſio Magnaque,

Magnaque diversos extollit gloria Celtas.
Arma negant contrà, Martemque odere Geloni,
Sed natura sagax: Perses in utroque paratus.
Sunt qui Seras alunt, genus intractabilis iræ.

ANNOTATIONES.

Gratii. quià Venatio species est τέχνης πολεμικῆς. Vlitius errat, cum ἰχνευτικὴν nusquàm apud Gratium significari, per Bellum, vel Prælia affirmat. Ipse enim illa verba, *seu bellum ex arte ministres*, aliter explicat; & secundam Venationis speciem denotari, nempe ἰχνευτικὴν, disertè asserit.

156. *Diversos.*] Primi itaque & in Gallià canes bellicosi fuere, & nullos adhuc sagaces ibi fuisse Gratii tempore ex ipso aliisque colligere est: ità ad hunc locum Vlitius. atqui Celtas à Medis diversos vocat Gratius. unde igitur hoc discrimen? an quià dociles Celtæ, æquè ac bellicosi? ita quidem videtur, & monendum fuit. at Xenophon junior, sive Arrianus, c. 3. canibus Gallicis sagacitatem nullis inferiorem ascribit. Pollux inter κελτικὰς γενναίους tantum recenset. Potest quoque explicari non minùs rectè, per *longe ab invicem disjunctos*, quibus patria est maximè disjuncta.

158. *Utroque.*] Sagax perinde ac bellicosus.

159. *Seras.*] An Indicos vult Gratius? de istis ità Plutarchus, p. 1787. Edit. Steph. Ὀφθέντος λέοντος εὐθὺς ἐξαναστῆναι, καὶ διακονίεσθαι καὶ φανερὸν εἶναι αὐτοῦ ποιούμενον ἀνταγωνιστὴν, τῶν δὲ ἄλλων (ζώων) ὑπερφρονοῦντα πάντων. Hos quoque describit Xenophon magnos, validos, celeres, & idoneos qui congrederentur cum apris.

Intractabilis.] Quæ non potest cicurari, & in ordinem redigi. Hi nempe feræ captæ adeò inhærent,

At

At contrà faciles, magnique Lycaones armis.
Sed non Hyrcanæ ſatis eſt vehementia genti
Tanta: ſuis petiere ultrò fera ſemina ſylvis.
Dat Venus acceſſus, & blando fœdere jungit.
Tunc & manſuetis tutò ferus errat adulter
In ſtabulis, ultroque gravis ſuccedere tigrim
Auſa canis, majore tulit de ſanguine fœtum.

ANNOTATIONES.

ut vix vi avellendi ſint.

160. *Lycaones.*] Arcades. qui Polluci & Oppiano celebres. *Vlit.* Lycaon erat Arcadiæ Tyrannus, & à Jove converſus in lupum. forſan igitur ex lupo & cane oriundi erant. Hinc λυκὰς & Lyciſca, nomina canum.

161. *Hyrcanæ.*] Canes è Tigride & cane progenitos Indis aſcribunt. Ariſtot. L. 8. animal. c. 28. & Pollux. at Gratius Hyrcanis. nec temerè forſan, cum in Hyrcaniâ atq; Indiâ plurimas fuiſſe Tigres teſtatur Plinius. Vlit.

162. *Tanta.*] Malo, nata. *i. e.* nativa, ingenita vehementia non ſatis eſt Hyrcanis canibus.

Suis.] *i. e.* Hyrcanis.

Ultro.] Ab Ariſtotele petita hæc. ἄγοντες δὲ δεσμεύουσιν εἰς τὰς ἐρημίας τὰς κύνας. *In ſylvis coitus tempore alligant fœminas.* Vlit. at Gratius dicit fœminas ultrò petere fera tigridum ſemina. ut & poſteà *ultro gravis.*

164. *Manſuetis.*] In ſtabulis manſuetarum pecudum impune fera errat tigris.

164, 165. *Gravis.*] *Gravem* mavult Vlitius ut planior fiat ſenſus. Verborum ſeries eſt, & canis auſa ultro ſubire tigrim gravis, *i. e.* gravida tulit prolem majore & nobiliore de ſemine.

Sed

Sed præceps virtus ipsâ venabitur aulâ.
Ille tibi & pecudum multo cum sanguine creſcet:
Paſce tamen, quæcunque domi ſibi crimina fecit,
Excutiet ſylvâ magnus pugnator adeptâ.
At fugit adverſos, idem, quos repperit, hoſtes
Umber. quanta fides, utinam, & ſolertia naris,
Tanta foret virtus, & tantum vellet in armis!
Quid freta ſi Morinûm, dubio refluentia ponto,
Veneris, atq; ipſos libeat penetrare Britannos?
O quanta eſt merces, & quantum impendia ſupra!

ANNOTATIONES.

167. *Præceps.*] Præfeſtina; impetus animi præfervidus.

Aulâ.] Quodvis ſeptum. animalium receptacula Græci *aulas* vocant. Servius ad Æneid. 9. v. 60.

170. *Excutiet.*] Lego *excuſet.* quod eſt, deleat, expiet, redimat. Prima improba virtus domi tuæ venabitur, & in familiares ſæviet pecudes. Hoc tu ignoſce illi, & paſce tamen, daque locum, quæ contraxit domi crimina, illa in ſylvâ, quod nimirùm haud dubiè faciet, purgandi. Gron.

172. *Fides.*] Fide & ſolertiâ naris Gratius ſagacitatem deſcribit. quid enim eſt in cane ſagacitas, niſi certa & fidelis ſolertia naris?

174. *Freta.*] Ad freta, & ad Britannos. Virg.

——*lavinaque venit*
littora.
Illyricos penetrare ſinus——

176. *Quantum.*] *i. e.* quantum lucri facis ultra impendia.

Si

Si non ad ſpeciem mentituroſque decores
Protinùs: hæc una eſt catulis jactura Britannis.
Ad magnum cum venit opus, promendaque virtus,
Et vocat extremo præceps diſcrimine Mavors; 180
Non tunc egregios tantùm admirere Moloſſos.
Comparat his verſuta ſuas Athamania fraudes,
Epiruſque Pheræque & clandeſtinus Acarnan.
Sicut Acarnanes ſubierunt prælia furto,

ANNOTATIONES.

177. *Si non.*] Quantumvis non omnino ad ſpeciem externam & decores, (quæ, quos capiunt, ſæpiſſimè fallunt] compoſiti ſint. Hic enim eſt unicus catulorum Britannicorum defectus. ad venationem πολεμικὴν, & ferarum pugnam cum ventum eſt, & vis animi exſerenda, non æquè mirabere egregios & inſignes Moloſſos.

178. *Catulis.*] Voſſius ad Catullum. p. 100. ad hæc verba, *catuli ore Gallicani* ſic dicit. catuli. *i. e.* canis. ut paſſim apud Horatium, Virgilium; græci σκύμνους vocant, non recens genitos ſed adultos. nullà itaque opus eſt correctione. occurrit poſteà v. 400.

183. *Epiruſque.*] Ità reſtituit Gronovius. Vicinas enim regiones deſignare voluit. Varro lib. 2. de re ruſticâ cap. 9. *videndum ut boni ſeminii ſint. itaque à regionibus appellantur Lacones, Epirotici, Sallentini.* olim legebatur *Acyrus.* Vlitius *Taygetus* legendum cenſet. Heinſius, *Argivus.*

Pheræ.] Vid. Strabo p. 367.

184. *Acarnanes.*] Thucydides lib. 3. ad finem. narrat ut Acarnanes, conſilio Demoſthenis in inſidiis locati Ambraciotas

Sic

Sic canis illa ſuos taciturna ſupervenit hoſtes. 185
At clangore citat, quos nondum conſpicit, apros
Ætolâ quæcunque canis de ſtirpe (malignum
Officium) ſive illa metus convicia rupit,
Seu fruſtrà nimius properat furor; & tamen illud
Nè vanum totas genus aſpernere per artes, 190
Mirum quàm celeres, & quantum nare merentur:
Tum non eſt victi cui conceſſere labori.
Idcirco variis miſcebo gentibus uſum.

ANNOTATIONES.

prorſus profligarunt. Huic Hiſtoriæ alludit Gratius. fuit tamen qui duos ſequentes verſus pro inſitiis habuit. nec ſanè ἄπο-πος illa ſuſpicio.

187. *Malignum.*] Venantibus malignum, utpote quod feris evadendi copiam dat. noxia ſedulitas.

188. *Convicia.*] Clamorem. Phædrus lib. 1. fab. 6. *Clamorem Ranæ ſuſtulere ad ſydera, convicio permotus quærit Jupiter cauſam querelæ.* L. 3. fab. 14. *Cicada acerbum noctuæ convicium faciebat.* Ov. Met. l. 6. v. 378. *Ipſaque dilatant patulos convicia rictus.*

189. *Furor.*] Scribo *favor.* dum ſibi favet ante tempus & prædam credit ſuam, à quâ longe adhuc abeſt. ſic infra,

Nequa ex nimio redeat jactura favore.

Et mox.

——*ut ne prima faventem pignora fallant.*

Gronov.

190. *Vanum.*] Ut vanum & inutile.

192. *Tum.*] Porro nullus eſt labor, cui labori ceſſerunt unquam defatigati.

193. *Idcirco.*] Ideò, ne

Quondam

Quondam inconſultis mater dabit Umbrica Gallis
Senſum agilem, traxere animos de patre Gelonæ
Hyrcano, & vanæ tantùm Calydonia linguæ
Exibit vitium patre emendata Moloſſo.
Scilicet ex omni florem virtute capeſſunt,

ANNOTATIONES.

canes alioqui boni, ut venationi prorſus inutiles unum ob vitium abjicerentur, canes variis gentibus ortas miſcere viſum eſt Gratio ut vitia eluerentur, & virtutes novas ſibi exinde accerſerent.

194. *Quondam.*] Non ſtatim à primâ mixturâ ſed altero tertiove fœtu. Xenophon. Ἐν πολλῷ δὲ χρόνῳ συνεκέκραται αὐτῶν ἡ φύσις. Vlitius.

Inconſultis.] Temerè in agris errantibus, quià nulla ineſt illis naris ſolertia, quâ duce dirigantur. Nam v. 156. laudantur tantum ob bellicoſam venationem.

Umbrica.] Vid. 172.

195. *Geloni.*] 157. arma negant contra martemque odere Geloni.

196. *Hyrcano.*] 161. ſed non Hyrcanæ fatis eſt vehementia genti nata.

Calydonia.] Ætola canis. Calydon enim eſt urbs Ætoliæ, ſita ad flumen Evenum.

197. *Exibit.*] Ibit extra vitium. Ità Virgil. cum accuſativo. *exit tela.* aliiſque.

198. *Florem.*] Græci ἄωτος. Ità de Hierone. Pindarus Od. primâ. δρέπων μὲν κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν. ἀγλαΐζεται δὲ καὶ μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ. Theocritus Idyllio ſecundo. οἰὸς ἀώτῳ. Et Hercules dicitur Ἡρώων ἄωτος. cujuſcunque rei præſtantiſſimum.

Et

Et ſequitur natura favens. at te leve ſi quà
Tangit opus, pavidoſque juvat compellere dorcas,
Aut verſuta ſequi leporis veſtigia parvi:
Petronios (ſcit fama) canes, volucreſque Sicambros,
Et pictam maculâ Vertraham delige falsâ.

ANNOTATIONES.

199. *Leve.*] Cum curſu tantum in fugaces feras contenditur.

200. *Tangit.*] Capit, delectat.

Opus.] Venatio.

Dorcas.] Damas, à δορξ δορκός.

201. *Verſuta.*] Intricata & redeuntibus in ſe gyris perplexa.

202. *Petronios.*] Iidem qui Petrunculi, canes veloces ſimul & ſagaces, à qualitate nomen ſortiti. Feſtus in Schedis: *Petrones, ruſtici à petrarum aſperitate & duritie dicuntur.* Hinc Petronii canes, qui ità ſolidos calces habeant, ut petras etiam illæſi percurrant. Hos Belgis aſcribit. *Vlitius.*

Scit fama.] Olim *ſic* legebatur. at non putem dicere Gratium Petronios canes iſto ævo tantum famâ cognitos. quid enim juberet deligere ad hanc venationem, qui nulli eſſent? ſed ſcripſit, *ſcit fama.* teſtem enim ejus, quod dicit, facit famam publicam. prorſus idem v. 256. *Thoes commiſſos,* (clariſſima fama) *Leones.* Gronovius.

Sicambros.] Hi certè populares noſtri ſunt: merito volucres, quia *venticanes* eos vocamus. *Vlitius.*

203. *Vertraham.*] Canis & hic Belgicus, à Velt campus & Bzack vel Racha canis. Veltrachæ abiit itaque in Vertracha, ſive Vertraha. qui idem eſt cum Martialis Vertrago.

Non ſibi ſed domino venatur Vertragus acer.

Falsâ.] Hoc verbum mendæ ſuſpectum habet

Ocyor affectu mentis, pinnâque cucurrit;
Sed premit inventas, non inventura latentes
Illa feras; quæ Petroniis benè gloria constat.
Quod si maturo pressantes gaudia lusû
Dissimulare feras, tacitique accedere possent:

ANNOTATIONES.

Henr. Stephanus. Vlitius aliter sentit & exponit, diversicolori, ità tamen ut nec virgæ nec maculæ possint dici. idque apertè, inquit significat Xenophon. Jun. cap. 3. οὕτω ταῖς ποικίλαις ἐπανθεῖ τὸ ποικίλον, ità in pictis falsæ quasi subnitent maculæ. falsâ pro versicolori potest stare. cum modo hic color oculis obversatur, modo ille, pro diversâ intuentis positurâ. Angl. changeable. At Xenophontis locus pessimè probat. Sic enim ille. ut canum diversicolorum varietas illa illustrem emittit splendorem, ità quibus color unus est & simplex, ille quoque fulget. ἀποστίλβει καὶ αὕτη. Ego itaque *flavâ* seu *fulvâ* malo. quem Vertrahæ colorem & Vlitius ascribit.

204. *Ocyor.*] Homer. Odyss. l. 7. v. 36.

Τῶν νέες ὠκείαι, ὡσεὶ πτέρον ἠὲ νόημα.

206. *Gloria.*] Inveniendi nempe feras, non minus quàm premendi inventas.

207. *Quod si.*] Si verò continenter supprimentes gaudia (ea enim est vis verbi, *Pressantes*) lusû maturo, *i. e.* dum lusus maturus sit, fructusque laboris capiendus, possent dissimulare feras *agnitas*, tacitique accedere; omnis venandi gloria Petroniis constaret, nec suis manca foret numeris, quæ jam, Metagontes, vobis contigit solis. hanc interpretationem Vlitianæ præferendam censebis, cum seriem verborum attentius inspexeris. Ille e-

Illis

Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,
Constaret sylvis: sed virtus irrita damno est.
At vestrum non vile genus, non patria vulgo,

ANNOTATIONES.

nim *pressantes* explicat per urgentes, *persequentes*, at fera nondum excitatur è latibulo: tum & *gaudia* loco movet, & postponit τῷ *dissimulare*. nec placet auribus æquè iste versus si sic interpunxeris.

Dissimulare, feras tacitique accedere possent.

209. *Metagontes.*] Intelligit canes semiferos, qui ex ferâ & cane geniti paulatim in diversum quoddam genus coalescunt. apertè hoc infra ostendit, cum Hagnonem dicit ex Thoe *semiferam prolem* finxisse, cui & hic statim *Metagonta* assignat. itaq; *Metagontes*, dicti quià μετά γεται καὶ συνκέκραται ἡ φύσις αὐτῶν. Quorum diversæ species. *Vlitius.*

210. *Virtus.*] Inconsulta illa animi vis & præfidens, quæ caret effectu, impedit quo minus sua gloria sit omnibus numeris absoluta.

211. *At vestrum.*] *Ad vestrum non vile genus.* legit Barthius. at Heinsius ad Lib. 6. Ovid. Metamor. v. 416. sic scribit. Locus contaminatissimus. Scribe.

Par vestro, non vile genus, Nonacria, vulgo,
Sparta suos, & Creta suos promittit alumnos.

Nihil enim causæ erat, cur Gratius canes Arcadas, tantopere in venatu ab omnibus commendatos, omitteret, recensitis aliis longè ignobilioribus. Hos rectè Spartanis & Cretensibus, qui maximè vulgares, adjungit. *Vulgus* pro canibus idem Gratius alibi quoque non semel dixit.

At si Lycaones superiùs memorati sunt iidem qui Arcades; Heinsiana correctio suis ipsa viribus ruit.

Vlitius ità locum exponit. *ad vestram* virtutem

Sparta ſuos & Creta ſuos promittit alumnos.
Sed primùm celsâ lorum cervice ferentem,
Glympice, te ſylvis egit Bœotius Hagnon,

ANNOTATIONES.

(præceſſerat enim *Virtus*) *Sparta & Creta non patria vulgo*, & vilibus canibus, *promittit*, jactat & comparat *alumnos ſuos non vile genus*. Idem tamen refingit poſteà, *Nunc patria vulgo Sparta*. Non vulgarium ſed omnium ferè canum vulgo patria habita Sparta.

Sed nec hæc ſatisfaciunt. *Virtus* enim illa, de quâ Gratius, eſt virtus culpabilis, impetus animi ſuæ pariter famæ venationique nocivus. nec *veſtram* poſſe ſtare puto, nam de Petroniis, non ad Petronios locutus erat Gratius. quod ſi verſus ſic refingis, planiſſimus fiet ſenſus.

At veſtrum non vile genus, non patria vulgo:
Sparta ſuos, & Creta ſuos promittit alumnos.

At veſtrum, Metagontes, genus non contemnendum eſt, nec patria è vulgo patriarum: Sparta enim & Creta promittunt conferuntque ſuos alumnos ad Metagonta generandum. Nec tamen Spartanus, nec Cretenſis ille fuit, qui primùm hoſce canes ad fœturam miſcuit; ſed Hagnon Bœotius primus te, Glympice, in ſylvis egit. Sic omnia, nî fallor, optimè cohærent. Hæc quoq; confirmat Ovid.

Et patre Dictæo, ſed matre Laconide nati
Labros & Agriodûs, &c.

214. *Glympice.*] De cane non minùs quàm Domino altum ubique ſilentium. Hagnius quidam eſt, pater Tiphyos, quem eundem eſſe cum Hagnone noſtro conjicit Vlitius, & quià patria illi Theſpiorum locus Aphormion in Bœotiâ, forte *Theſpiades* loco *Haſtilides* legi debere apud Gratium. Quæ vera ſint & ipſius Authoris necne, nullis adjutus codicibus

Hagnon

Hagnon Aſtylides, Hagnon, quem plurima ſemper
Gratia per noſtros unum teſtabitur uſus.
Hic trepidas artes & vix novitate ſedentes
Vidit, quà propior patuit via : nec ſibi turbam
Contraxit comitem, nec vaſa tenentia longè.
Unus præſidium atque operi ſpes magna petito
Adſumptus Metagon luſtrat per nota ferarum
Paſcua, per fontes, per quas trivere latebras,
Primæ lucis opus : tum ſigna vapore ferino
Intemerata legens, ſi qua eſt quà fallitur ejus

ANNOTATIONES.

prorſus neſcio. aliquam tamen, ut in tenebris, veri ſpeciem habent.

215. *Haſtili.*] Repono *Aſtylides.* magis ad Patronymicorum Græcorum formam. quis porro ferre poteſt aſpirationem iſtam, *H* quatèr repetitam duobus verſibus ?

Quem plurima.] Quem utpote ſingularem & unicum in re venaticâ grata ſemper poſteritas uno ore deprædicabit.

217. *Trepidas.*] Dubias, & fluctuantes, necdum præ ſuâ novitate ſtabilitas & ἐμφυίας.

218. *Vidit.*] Artes, quà propior patuit via. providit quà artibus propior patuit via. Solenne Græcis & Latinis. *Vlitius.*

219. *Tenentia.*] i. e. *retia longo meantia tractu.* reaching far.

223. *Primæ.*] Hoc inter omnes convenit ſummo mane venationem inchoandam eſſe. *Vlitius.*

224. *Intemerata.*] Nondum miſta odore aliarum ferarum, necdum ſolis æſtu libata, & infirmiora.

Turba loci, majore secat spatia extera gyro.
Atque hîc egressu jam tum sine fraude reperto
Incubuit, spatiis qualis permissa Lechæis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, & primæ spes ambitiosa coronæ.
Sed nequa ex nimio redeat jactura favore,

ANNOTATIONES.

Apollonius, Lib. 4. 109.
——ἀλευαμένοι φάος ἠοῦς,
Μὴ πρὶν ἀμαλδύνῃ θηρῶν στίβον· ἠδὲ καὶ ὀδμὴν
Θηρείην, λευκῇσιν ἐνισκίμψασα βολῇσιν.

225. *Turba.*] Intricata confusio vestigiorum in diversa tendentium. *Vlitius.*

Lucanus de Pompeio fugiente. *Incerta fugæ vestigia turbat, Implicitasque errore vias.* Sic lepus nunc dexter, nunc lævus, nunc vestigiis suis obvius incertum iter texit.

226. *Egressu.*] Feræ nempe ex illâ vestigiorum ambage.

Fraude.] Errore.

Incubuit.] Hîc vim habet Græci Aoristi. ut v. 45. *ostendit* & *exterruit.* v. 204. *cucurrit.* i. e. currere solet.

Incubuit.] Nudum apud Justin. L. 3. legitur, *ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit.* & Tacit. Annal. 4. *Si cuncti quibus libertas servitio potior, incubuissent.* Gronov.

Permissa.] Ἀίσουσα, συθεῖσα, laxis habenis lata.

Lechæis.] Lechæum, portus Corinthi versus Occidentem ludis trietericis Isthmiorum celebris. Eo alludit Gratius; canemque his amfractibus evolutum emicare in prædam dicit ut Quadriga Thessala se jactat in pulvere Isthmiaco, seu spatiis Lechæis. *Gronov.*

230. *Favore.*] Impetu spe prædæ excitato, &

Lex

Lex dicta officiis: ne voce laceſſeret hoſtem,
Neve levem prædam, aut propioris pignora lucri
Amplexus, primos nequicquam effunderet actus.
Jam verò impenſum melior fortuna laborem
Cum ſequitur, juxtáque domus quæſita ferarum;
Ut ſciat, occultos & ſignis arguat hoſtes: 236
Aut effecta levi teſtatur gaudia caudâ,
Aut ipſa infodiens uncis veſtigia plantis
Mandit humum, celſaſve adprenſat naribus auras.
Et tamen ut nè prima faventem pignora fallant, 240
Circa omnem, aſpretis medius quà clauditur orbis,

ANNOTATIONES.

quaſi ſibi plaudente.

232. *Pignora.*] Pledges, hopes or temptations.

Lucri.] Feræ lucrandæ; prædæ.

233. *Effunderet.*] Ita fidenter ſcripſi pro, *offenderet*; neſciebam enim quid ſibi vellet: neque placebat Gronovii *offunderet.* quià nudum *offundere* non invenitur pro offuſcare, obnubilare. Quam correctionem firmat illud Virgilii. Georg. L. 4. v. 492.

——— *ibi omnis*
Effuſus labor ———

236. *Ut ſciat.*] Nempe Hagnon, & detegat hoſtes ibi occultos ſuis è ſignis, canis aut teſt. *&c.*

237. *Effecta.*] Produced. tamen, ut verum fatear, quidvis malo, quàm languidum iſtud Epitheton. *Effuſa. Efflicta.*

240. *Et tamen.*] Ne tamen prima veſtigia, primus odor canem indulgentem curſui in errorem inducat, monet Hagnon, ſeu venator, cir-

Ferre pedem, acceſſuſque abituſque notâſſe ferarum
Admonet; & ſi forte loci ſpes prima fefellit,
(Rarum opus) incubuit ſpatiis ad proſpera verſis,
Intacto repetens prima ad veſtigia gyro. 245

ANNOTATIONES.

cumire omnem orbem medium ſepibus clauſum, & obſervare exitus adituſque ferarum.

243. *Spes prima.*] Nemini non poteſt eſſe moleſta illa repetitio τῶν *primo.* ter ſex verſibus occurrit. quin & menti Authoris adverſatur, ità ut poſt Vlitii explicationem quantum ego video, locus maneat adhuc obſcurus æquè ac anteà. at ſi loco *prima* ſuffeceris *Illa* (cujus Gloſſema illud erat) planam dederis ſententiam. Nempe hanc, at ſi forte ſpes illa loci, quem canis monitu venatoris luſtraverat (quod tamen rarò evenit) caruit effectu, incumbit protinùs ſpatiis, &c.

Eſt & altera amici conjectura, quæ eundem conficit ſenſum, & propius receptæ lectionis veſtigiis inhæret.

Et ſi forte loci ſpes præda fefellit.

244. *Ad proſpera.*] Ità omnes editi, ante Vlitium, qui *proxima* legit & legendum contendit. Illa tamen Lectio mihi optimè ſe habere videtur, Vlitiana autem non poſſe defendi. Explicabimus modò.

Dejectus de illâ ſpe canis quid agere parat? Incumbit nempe, quantum poteſt, ſpatiis quæ rectà tendunt, ducunt ad *proſpera*, hoc eſt, ad ea loca, unde felicem primus conceperat ſpem, unde prima pignora, primus odor ſe obtulerant.

Verſis.] Olim *Siſer.* nullo ſenſu. Vlitius hinc feliciter ſatis, inverſo literarum ordine, eruit *Verſis.* poterat ſanè in fine versûs ſic ſcribi. Hinc illa labes. *fis Ver.*

245. *Intacto.*] Non ante

Ergò

Ergò ubi plena ſuo rediit victoria fine,
In partem prædæ veniat comes, & ſua nôrit
Præmia: ſic operi juvet inſerviſſe benigno.
Hoc ingens meritum eſt, hæc ultima palma tropæi,
Hagnon magne, tibi divûm conceſſa favore.
Ergò ſemper eris, dum carmina, dumque manebunt
Sylvarum dotes, atque arma Diania terris.
Hic & ſemiferam Thoum de ſanguine prolem
Finxit. Non alio major ſua pectore virtus;
Seu nôrit voces, ſeu nudi ad pignora Martis.

ANNOTATIONES.

calcato. *Repetens.*] Subaud. curſum, viam.

247. *Nôrit.*] Olim *naris.* nullo ſenſu. ſentiat hanc pro navatâ operâ ſibi mercedem dari, ut hâc memoriâ & ſpe excitetur in futurum. *Gronov.*

248. *Benigno.*] Quod reſpondet meritis, & remunerat labores.

252. *Dotes.*] Voluptas & commoda.

Diania.] Olim *Dianea.* malè.

253. *Thoum.*] Θῶες. *genus luporum, procerius longitudine, brevitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu vivens.* Plin. Lib. 8. Cap. 34. qui de his plura ſcire cupit, adeat Oppianum. Lib. 3. Pollucem. Ariſtot. Plinium. Non mei eſt inſtituti omnes Authorum locos huc congerere.

254. *Sua.*] Mihi omnino videtur legendum *Sub.*

255. *Nôrit.*] Ald. *morit.* hinc Barthius. *morit fauces.* at Vlitius alteram Lectionem retinet, quià præcipua virtus in cane obedientia eſt. Neutrum mihi placet. Quæ enim hæc Thoes

Thoes commiſſos (clariſſima fama) leones
Et ſubiere aſtu, & parvis domuere lacertis.
Nam genus exiguum, & pudeat quam informe fateri
Vulpinâ ſpecie, tamen huc exacta voluntas.
At non eſt alius, quem tanta ad munia fœtus
Exercere velis, aut te tua culpa refellat
Inter opus, quo ſera cadit prudentia damno.

ANNOTATIONES.

Latinitas eſt? Seu norit voces, ſive ad pignora. mihi verbum deeſſe videtur, quod utrique membro cohæreat; at, nî fallor, adeſt. Sic itaque refingerem hunc locum.

Sive voces naris, ſeu nudi ad pignora Martis.

jure credi poſſunt hoc immutâſſe, qui neſciebant τὸ *ad pignora*, bis quaſi poſitum eſſet, bis conſtrui debere. v. 247. *Naris* occupaverat locum τῷ *norit*. non itaque inſolens hæc inter ſe mutatio. Hic igitur ſenſus eſt, ſive canem hunc evoces ad pignora naris, *i. e.* ad perſequendas ſagacitate feras, ſive ad hoſtes nudo marte domandos. v. 152.

—*ſive indomitos vehementior hoſtes*
Nudo marte premas, ſeu bellum ex arte miniſtres.

258. *Nam genus exiguum.*] Ariſtotel. ἔλαττοι δ' οἱ μικροὶ τῶν σώων. qui Thoum minimi, iidem fortiſſimi ſunt.

259. *Specie.*] Ald. *ſpecies.* non malè.

Exacta.] Aptiſſima, quaſi ad normam exacta.

260, 261, 262. *At non.*] Acervus vitiorum. Scribe.

At non eſt alius, quem tanti ad munia fœtûs
Exercere velis: haud te tua culpa refellat
Inter opus, quum ſera redit prudentia damno.

Junge

Junge pares ergò, & majorum pignore ſigna
Fœturam, prodantque tibi Metagonta parentes,
Qui genuere ſuâ pecus hoc immane juventâ. 265
Et primùm expertos animi, quæ gratia prima eſt,
In venerem jungunt: tum ſortis cura ſecundæ,

ANNOTATIONES.

Exercere ad munia tanti fœtus, eſt jungere cum cane in Venerem ad nobilem Metagonta generandum. quam curam ſi præſtiteris, non te pœnitebit poſtea hoc fœtu in venando uti, nec eveniet tibi ut in eo te peccàſſe, & aliquam in te culpam admiſiſſe deprehendas, quæ te tum refellat, accuſet, confutet, ut ſolet fieri ſerò & damno ſuo ſapientibus. *redit*, ut infrà,

— *hæc magno redit indulgentia damno.*

Gronovius.

quià in C. Ald. *refellat* reperitur textui inſerendum duxi. reliqua Gronovio debes.

263. *Pignore.*] Junge pares, inquit Gratius, eoſque animi expertos, formâque non indecoros, ut ex parentum virtutibus, quaſi totidem pignoribus datis, jam deſignes animo pro certoque ſpondeas dignam majoribus prolem, parenteſque ante partum, futurum Metagonta ſignificent.

265. *Qui genuere.*] Hunc verſum Vlit. contra Barth. mordicus ſervandum cenſet. Næ ille Muſis invitis, quæ omnes ſiquid ego ſapio, præcipitem illicò furcillis è Parnaſſo deturbarent. Nihil enim eſt niſi inſulſa periphraſis *parentes*. cui geminum habes apud Ovidium

Nec niſi finità per plurima vulnera vità.

266. *Expertos.*] Virtutis ſpectatæ canes.

267. *Sortis.*] Qualifi-

Ne-

Ne renuat ſpecies, aut quæ detrectet honorem.
Sint celſi vultus, ſint hirtæ frontibus aures,
Os magnum, & patulis agitatos morſibus ignes
Spirent, aſtricti ſuccingant ilia ventres:
Cauda brevis, longumque latus, diſcretaque collo
Cæſaries, non pexa nimis, non frigoris illa
Impatiens: validis tum ſurgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit.
Effuge qui latâ pandit veſtigia plantâ,
Mollis in officio. ſiccis ego dura lacertis
Crura velim, & ſolidos hæc in certamina calces.
Sed fruſtrà longus properat labor, abdita ſi non

ANNOTATIONES.

268. *Ne renuat.*] Lege. *Ne renuat ſpecies, aut ne detrectet honorem.* Curandum eſt, ut ſint pari ſpecie, & ne illa ſit talis, quæ omnem detrectet honorem & venuſtatem. Malo tamen, fateor, *prædetrectet*, quod propius veteri lectioni, & ſenſu elegantius. *Præ* ſolenne eſt in decompoſitis, *prædelaſſo*, *præconſumo*.

270. *Ignes.*] Ità Poetæ ferè ſemper, cum animal depingerent animoſum. Virg. G. 3. v. 85. de equo.

Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.

& paſſim.

274. *Impatiens.*] Quæ non poteſt defendere frigus.

276. *Quod magnos.*] Quod, quantumvis magnos pulmonum anhelitus capiat, ſatis ſuperque ta-

Altas

Altas in latebras, unique inclusa marito
Fœmina, nec patitur Veneris sub tempore magnos
Illa, nec emeritæ servat fastigia laudis.
Primi complexus, dulcissima prima voluptas:
Hunc Veneri dedit impatiens natura furorem.

ANNOTATIONES.

men amplum sit, nec laborantem deficiat.

280. *Latebras.*] Vide Xenoph. Jun. c. 28.

281. *Magnos.*] *Mores.* *Illa, neq; in meritæ servit fastigia laudis.* Grotius. *Magnos* retinet Vlitius, & exponit. Frustra laborari dicit Poeta, nisi canis fœmina uni inclusa marito fuerit, eumque quantumvis magnum patiatur & admittat. At hæc locum nullatenus dilucidiorem reddunt, cur enim magnos, si unum Gratius tantum voluit? nos levi mutatione defungemur hâc difficultate. lege modò

—*Nec patitur Veneris*
sub tempore mœchos
Illa,——

Ita sententia loci hæc erit. Frustrà laboratur si non fœmina unî inclusa marito & non patitur (*i. e.* & renuit) in ipso coitûs tempore mœchos (adulteros) & si non servat tanquam sacra, fastigia virtutis emeritæ & spectatæ. magis placeret, si *fastidia* legeretur. Ità elegans servabitur tenor & continuatio comparationis institutæ. sed & confirmant hanc conjecturam sequentia. *Si renuit cunctos, & mater adultera non est.*

284. *Impatiens.*] Suæ libidinis impatiens Natura hunc Veneri caninæ dedit furorem. Impatientia, libido immoderata. at tu, cui hæc placent, adi propere. Gronov. Observ. l. 4. p. 396.

Si

Si renuit cunctos, & mater adultera non eſt,
Da requiem gravidæ, ſolitoſque remitte labores:
Vix oneri ſuper illa ſuo: tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percenſere notis, jamque inde excernere parvos.
Signa dabunt ipſi. teneris vix artubus hæret
Ille tuos olim non defecturus honores:
Jamque illum impatiens æquæ vehementia ſortis
Extulit, affectat maternâ regna ſub alvo.

ANNOTATIONES.

285. *Cunctos.*] *Junctos*, Heinſius. malè.

287. *Super.*] Heinſius, *Par.* at Virgil. G. 3. verſ. 127.

——— *ne blando nequeant ſupereſſe labori.*

Ità Colum. *Roborandus largo cibo*, &c. *ut Veneri ſuperſit.* Sic itaque Gratius. Vix ſuperſtes erit oneri ſuo.

288. *Indocilis.*] Venationis non capax. inutilis venationi futura.

290. *Ipſi.*] Olim *ipſæ*, vel *ipſe*, at præceſſerat *parvos & natorum.* Ipſi nempe catuli dabunt tibi ſigna, quæ in excernendo dirigant judicium tuum. Vlitius.

Teneris.] Teneri artus, qui ſoluri & quaſi luxati ſunt. Vlitius.

291. *Defecturus.*] *i. e.* deſerturus. Ovid. Met. 2. v. 382. de Sole

—— qualis cum deficit orbem,
Eſſe ſolet.

Amor. l. 1. Eleg. 8. v. 93.

Cum te deficient poſcendi munera cauſſæ.

ubi plura. Vide quoque Gronov. ad Epiſt. Senecæ 30.

Ubera

Ubera tota tenet, à tergo liber aperto,
Dum tepida indulget terris clementia mundi:
Verum ubi Caurino perſtrinxit frigore Veſper,
Ira jacet, turbâque potens operitur inerti.
Illius è manibus vires ſit cura futuras
Perpenſare, leves deducet pondere fratres:
Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.

ANNOTATIONES.

294. *Ubera.*] Logi editio. *Libera tota tenet ea* Pithœana. *Ubera tota tenet ea tergo*, unde Pithœus. *eat ergo.* Gronovius conjecit *ſtat tergo liber aperto.* quid ſi

Ubera tota tenet ſua, tergo liber aperto.

297. *Ira jacet.*] Omnes ed. *Ire placet.* nullo ſenſu. Perſentiunt enim citiùs ac minus tolerant frigus teneri, qui meliores, catuli; ideoque patitur ille turbâ inerti ſe operiri, ut à frigore defendatur. Vlitius.

Inerti.] Ἀτεχνὴς, & venationi inepta.

298, 299. *Manibus.*] Nec *manus* hîc catulis attribuuntur, quum ſint hominis pondus catulorum exigentis; nec *deducet*, eſt ipſe levior fratres deſcendere coget, quum graviores magis probentur, nec *deducere* eſt vincere citra reſpectum libræ, nam de *manibus* loquitur, ut de lancibus libræ. nimirum *deducere* Gratio, ut *deprimere* Ciceroni id dicitur in librâ, quod gravitate vincit. L. 5. de finibus. *Terram, mihi crede, ea Lanx & maria deprimet.* Demoſth. de Pace: Ὅταν δ' ἐπὶ θάτερα, ὥσπερ εἰς τρυτάνην, ἀργύριον προσενέγκῃς, οἴγεται φέρον καὶ καθείλκωσε τὸν λογισμὸν ἐφ' αὑτό. Gronov.

Protinus

Protinus & cultus alios, & debita fœtæ
Blandimenta feres, curâque ſequêre merentem:
Illa perinde ſuos, ut erit delata, minores,
Ac longam præſtabit opem. tum denique fœtû
Cum deſunt, operis fregitque induſtria matres,
Tranſeat in catulos omnis tutela relictos.

ANNOTATIONES.

301. *Fœtæ.*] Latini *fœtam* dicunt, & gravidam & partu liberatam. ut rectè Servius ad primam Æneida. Hinc *fœtus* & conceptus & partus.

303. *Delata.*] Ed. Log. *delacta.* Pithœana, *delata.* Vlitius εὕρηκα exclamat, atque ità locum legendum jubet.

Illa perinde ſuos, uteri de lacte, minores,
Ac longam præſtabit opem ———

ut ſit σύγχυσις. Illa perinde ſuos curâ proſequetur, ac uteri de lacte longam præſtabit opem. Nec tamen inventis contentus refingit.

Illa petendo ſuos, ut erit dilata, minores
Ad longam perſtabit opem ——

Non fluctuat animus in veris, obfirmatur acquieſcit. forte legendum.

Illa perinde ſuo nutrit de lacte minores,

Vel,

Illa perinde ſuo ſaturat de lacte-- ——

Cui Lectioni Longobardica Scriptura unicè favet. V. Mabillon. Lib. 5. de re Diplomaticâ. Tab. V.

304. *Fœtû.*] Ità Logi Ed. pro fœtui. quam lectionem alteri nempe *fœtæ* (quià modo præceſſerat) anteponere non dubitavi. hæc Verba ſic Vlitius exponit. Cum fœtæ deſunt operi, *i. e.* nutritioni, & induſtria vicit naturalem matrum affectum. *Mater* enim pro amore materno. Mihi

Lacte

Lacte novam pubem, facilique tuebere mazâ:
Nec luxus alios, avidæque impendia vitæ
Noſcant. Hæc magno redit indulgentia damno.
Nec mirum: humanos non eſt magis altera ſenſus:
Tollit ſe ratio, & vitiis adeuntibus abſtat.
Hæc illa eſt, Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum ſervata cavis potant Mareotica gemmis,

ANNOTATIONES.

tamen ejuſmodi videtur eſſe ſententia. Cum matres ſuo deſunt fœtui, nec ultra lac præbere valent, & operis illius, nimirum nutriendi, labor debilitavit omnino vires——

Operis malo cum Vlitio. olim *operi.* quam lectionem immutatio τῦ *fœtû* in *fœtæ* dedit illis, quibus caſus aliquis deeſſe videbatur poſt *deſunt.*

307. *Facilique.*] Parabili. avidæ enim impendia vitæ omnino vitanda.

310, 311. *Humanos.*] Ità omnes codices ante Vlitium hos verſus exhibent, niſi quod *obſtant* in fine, pro *abſtant*, ut opinor. rectè quidem illi, nec melioribus hâc in parte opus eſt codicibus, nec Vlitianâ σχαστικῆ. qui ſic legit,

Humanos non & magis altera ſenſus
Tollit, nec ratio vitiis adeuntibus obſtat.

Hic eſt enim verborum ſenſus.

Non altera *indulgentia* magis eſt, *i. e.* Edit, corrumpit, prædatur humanos ſenſus. Ratio enim, ut Aſtræa olim, ſubducit ſe, & vitiis adeuntibus intereſſe non ſuſtinet.

312. *Fregit.*] Exprimere voluit Græcum ἔαγε.

Noxia.] Pernicioſa indulgentia. ſumitur & ſubſtantivè pro damno, vitio, labe.

313. *Mareotica.*] Vina Ægyptia. Mareotis enim

Nardiferumque metunt Gangem, vitiiſque miniſtrant.
Sic & Achæmenio cecidiſti, Lydia, Cyro:
Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
Scilicet ad ſummam nequid reſtaret habendum,
Tu quoque luxuriæ fictas dum colligis artes,
Et ſequeris demens alienam, Græcia, culpam,
O quantum & quoties decoris fruſtrata paterni!

ANNOTATIONES.

in Ægypto palus eſt; *Strabo.* Lib. 17. Ἐυοινία τέ ἐστι περὶ τοὺς τόπους, ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν μαρεῶτιν οἶνον. Hinc *Servata* Gratius vocat.

314. *Gangem.*] Καταχρηστικῶς, pro metunt loca Indiæ vicina Gangi, quæ ideò nardum ferunt optimam.

Miniſtrant.] Δουλεύουσι. Miniſtros ſe præbent. *Miniſter* enim proprium in conviviis & comeſſationibus verbum, ut & *miniſtro.* αὐτοὶ τῇ ἑαυτῶν τρυφείᾳ οἰνοχοῦσι.

317. *Scilicet.*] Hæc verba longè efficaciùs cohærent cum ſequentibus, & ironiam continent acerbiſſimam. Tu quoque Græcia, nequid, ſi diis placet, ad ſummam felicitatis reſtaret parandum, eo inquam fine dum fictas luxuriæ artes colligis, demens amiſiſti gloriam paternam.

318. *Fictas.*] Studio elaboratas.

Colligis.] Undecunque corradis.

319. *Alienam.*] Peregrinam, non naturalem, nec tuam.

320. *Decoris fruſtrata.*] Subaud. *es:* quod paſſim Gratius omittit. Exprimere voluit Græcum ἀπέτυχες, ſeu τυγχάνεις ἀποτυχοῦσα. ideoque cum ge-

At

At qualis noſtris, quàm ſimplex menſa Camillis!
Qui tibi cultus erat poſt tot, Serrane, triumphos?
Ergo illi ex habitu, virtutiſque indole priſcæ
Impoſuere orbi Romam caput: actaque ab illis
Ad cœlum virtus, ſummoſque tetendit honores.
Scilicet exiguis magnâ ſub imagine rebus
Proſpicies, quæ ſit ratio, & quo fine regenda.
Idcirco imperium catulis, unuſque Magiſter
Additur, ille dapes, pœnamque operamque miniſtrans
Temperet: hunc ſpectet ſylvas domitura juventus.
Nec vile arbitrium eſt: ciucunque hæc regna dicantur,

ANNOTATIONES.

nitivo jungitur.

323. *Indole.*] Vi innatâ.

326, 327. *Scilicet.*] Ità enim eſt. à magnarum rerum imagine & repræſentatione licet proſpicere quæ ſit exiguis rebus ratio, & quo modo, quo intuitu dirigenda & moderanda.

328. *Imperium.*] Imperator.

Magiſter.] Magiſter catulorum, ut magiſter Equitum. alibi enim catulorum agmen *exercitum* vocat. & ubique ferè ad Romanam militiam alludit Gratius. paulo poſt, *Socios.*

330. *Juventus.*] Sic Virg. de apibus. *ludetque favis emiſſa juventus.*

331. *Arbitrium.*] Imperium.

Dicantur.] Deſtinantur, vel conferuntur.

Ille tibi egregiâ juvenis de pube legendus,
Utrumque & prudens, & ſumptis impiger armis.
Quod niſi & acceſſus, & agendi tempora belli
Noverit, & ſocios tutabitur hoſte minores;
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno eſt.
Ergo in opus vigila, factuſq; ades omnibus armis;
Arma acuere viam. tegat imas faſcia ſuras.
Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo
Mantica, curta chlamys, canâq; è Mæle galeri:

ANNOTATIONES.

333. *Utrumque.*] Homerum imitatur.

Ἀμφότερον βασιλεύειν τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμήτης.

337. *Factus.*] Paratus, inſtructus. Cic. L. 1. ad Verrem. *Erat comes ejus Rubrius quidam, Homo factus ad ejus libidines.* ad Attic. 14. 21. *Erotem, ad iſta expedienda factum, reliqui.* i. e. aptum & accommodatum.

338. *Acuere.*] Quid ſit *acuere viam* prorſus neſcio. fas ſit itaque conjecturâ non audaci nimis ſanitatem loco reſtitutum ire. Videtur ergo legendum *Virum*, & verba parentheſi includenda. Hæc itaque loci mens. Primo mane accinge te ad venationem, inſtructuſque adſis omnibus armis, armis, inquam omnibus (Arma enim viris, animos addere ſolent.)

——αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

339. *Sit famulis.*] Quæ in hoc & ſequenti verſu diverſo charactere impreſſa vides, Vlitiana ſunt. MS. Longobardicus hîc loci mutilus erat, fruſtrà itaque conjecturis indulgetur ubi nulla datur conjectandi anſa.

Ima

Ima Toletano præcingant ilia cultro:
Terribilemque manu vibrata falarica dextrâ
Det ſonitum, & curvâ rumpant non pervia falce.
Hæc tua militia eſt: quin & Mavortia bello
Vulnera, & errantes per tot divortia morbos,
Cauſſaſque, affectuſque canum tua cura tueri eſt.
Stat fatum ſupra, Totumque avidiſſimus Orcus
Paſcitur, & nigris Orbem circumſonat alis.

ANNOTATIONES.

341. *Toletano.*] Gladius Hiſpanienſis ſignificatur quo ſe cum adverſus feras, tum malignos, ſiqui occurrant, homines defenderent. Vlit. de cultro Toletano, qui & hodie celeberrimus, Gratius (credo) primus è veteribus meminit.

342. *Falarica.*] Grandiorem ſolitò haſtam deſignat. venabulum prægrande. alius enim erat falaricarum uſus in obſidionibus.

343. *Non.*] Vet. Edit. *nova.* quod quid ſit nescio. amplector itaque emendationem neſcio cujus, legentis *non.* Vlitius veterem lectionem admittit, & poſſe defendi putat, viderint alii.

344. *Militia.*] Bellicus apparatus.

344. *Mavortia bello.*] Vulnera inter prælian-dum per feras accepta.

345. *Divortia.*] Tot flexibus huc illuc per corpus ſerpentes, & inexpectatis vicibus adorientes.

346. *Affectuſq;*] Symptoms.

347. *Totumque.*] Novi quidem *totum* poſſe conjungi cum *orbem,* videtur tamen expreſſum voluiſſe Græcum τὸ Πᾶν.

Scilicet ad magnum major ducenda laborem
Cura; nec expertos fallet Deus: hinc quoque noſſe
Eſt aliud, quod præſtat opus placabile numen.
Nec longè auxilium, licet alti vulneris ora
Abſtiterint, atroque cadant cum ſanguine fibræ:
Inde rape ex ipſo, qui vulnus fecerit, hoſte

ANNOTATIONES.

349. *Laborem.*] Malum, quo corpus animuſve laborat. *Malum* quoque ſæpe idem valet quod labor, quo exercitamur. Virg. Adſuetumque *Malo* Ligurem.

350. *Hinc.*] Ab experientiâ nempe licet noſſe aliud opus, quod præſtat numen placabile. Heinſius hunc locum ità emendandum cenſet

—— *Hinc quoque nôſſe*
Eſt illud, quod præſtet opis placabile numen.

numen opis, *i. e.* opiferum. poſtea, *animæ numen.* at quo ſæpiùs repeto hunc locum, eò magis diſplicet, ità merum frigus eſt, ità tardè incedit, utcunque omnis ponderis expers. Audaciùs itaque agamus, & ſanitatem amputando licet reſtituere conemur. Sic ergo locum lege,

Scilicet ad magnum major ducenda laborem
Cura; nec expertos fallet placabile numen.

Idem poſtea vocat, facilis Pæan.

Poterat ſanè aliquis paulò religioſior hanc notulam margini aſcribere.

Numen.] *Deus. Hinc quoque nôſſe eſt illud, quod Deus præſtat opus.*

353. *Abſtiterint.*] Diſceſſerint ab invicem.

Atroque.] Sic Vlitius olim *utroque*, unde Pithœus *uteroque*. non malè.

Viroſam

Viroſam eluviem, lacerique per ulceris ora
Sparge manu, venas dum ſuccus comprimat acer.
Mortis enim patuere viæ. tum pura monebo
Circum labra ſequi, tenuique includere filo.
At ſi pernicies anguſto paſcitur ore
Contrà pande viam, fallenteſque argue cauſas.
Morborum in vitio facilis medicina recenti.
Aut tactu impoſitis mulcent pecuaria palmis,
(Id ſatis) aut nigræ circum picis unguine ſignant.

ANNOTATIONES.

355. *Viroſam.*] Salſam. *virus* pro maris ſalſedine. Lucretius.

Ionium glaucis aſpergit virus ab undis.

Plin. Lib. 31. c. 6. *aquam marinam vetuſtate virus deponentem* dicit.

Eluviem.] Urinam effuſam. adi Doctiſſim. Gronov. ad Livii. L. 1. c. 4. qui te doctiorem, pro ſuo more, dimittet.

357. *Pura.*] Sic mundata, ſordibus purgata.

358. *Sequi.*] Manu ſequi, & revocare diſcedentia vulneris ora.

360. *Contrà.*] E contra os ulceris amplius redde, & latentes detege cauſſas.

362. *Aut tactu.*] In morborum vitio recenti, manibus tantum leviter impoſitis mulcent pecuaria, id ſatis eſt. *Tactu.*] Cœlius Aurelianus. L. 1. Acut. *Manibus leviter defricandum, ſed non impreſſis.* quo nihil ad hunc locum accommodatiùs. idem enim Gratius dicit, *mulcent pecuaria manibus, ſed tactu impoſitis.* quæ manus mollis partibus affectis calefaciendis & leniendis inſervit. Sed & inter Ludibria artis magicæ erat, ut præter carmina

Quòd si destricto levis est in vulnere noxa,
Ipse habet auxilium validæ natale salivæ.
Illa gravis labes; & cura est altior illis,
Cum vitium caussæ totis egere latentes
Corporibus, serâque aperitur noxia summâ.

ANNOTATIONES.

tactu etiam offenderent, aut devotiones solverent. Silius. L. 1.

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactuque graves sopire chelydros.

Plin. *Genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentium ictus contactu levare solitos & manu impositâ extrahere corpori.* Vid. Gronov. l. 2. Observ. c. 1. ubi hæc, & plura.

Pecuaria.] Canes. quasvis bestias significat. Virgil. Equos. Juvenal. Asinos.

364. *Destricto.*] Libri, *districto.* male. *destringi* & *abradi* simul leguntur, ut συνώνυμα.

365. *Validæ.*] Logi Edit. *Validum.*

366. *Cura est.*] Ità ab ingenio primus edidit Pithœus. Vett. Lib. *Curas altior illis.* Heinsius alicubi ad Ovidium plurimos congessit locos ubi simile occurrit mendum, ex brevi scribendi modo ortum. Cura'st. Vlitius conjicit, curis altior illis. Pithœana magis placet. Nam *illis* refertur ad *causæ* proximo versu, non ad *labes*, quod præcessit. falsus est hîc Vlitius qui putavit *illis* non posse stare & reposuit *illî.*

368. *Serâque.*] Cum noxia lues jam invetera-verit, & sero prodiderit se ad *summum* evecta. *Summam* usurpat pro perfectione, consummatione, & rei ἀκμῇ. Petronius in initio, *Quis posteà ad summam Thucydidis, quis ad famam Hyperidis processit?*

Inde

Inde emiſſa lues, & per contagia morbus
Venere in vulgus; juxtáque exercitus ingens
Æquali ſub labe ruit: nec viribus ullis
Aut merito venia eſt, aut ſpes exire precanti.
Quod ſive à Stygiâ lethum Proſerpina nocte
Extulit, & Furiis commiſſam ulciſcitur iram:
Seu vitium ex alto, ſpiratque vaporibus æther

ANNOTATIONES.

371. *Æquali.*] Ὁ μολίος communis. nullî parcens.

372. *Exire.*] Labem. ut & anteà, *exibit vitium.*

374. *Furiis.*] Ità Logi Edit. quod miror nullius oculos advertiſſe, cum ad ſenſum Authoris & ſtylum poeticum tàm prope accedit. leviſſimà enim mutatione *Furiis* legendum videtur, pœnarum illis adminiſtris, & quibus omnia mala aſcribunt Poetæ: Nonne in peſte Virgilianâ ſuas agit partes Tiſiphone? Furiis itaque rectè Gratius dicit id officii mandari, committi, ut ulciſcantur iram Deæ Proſerpinæ. Si cui tamen *furtis* magis placuerit, & Hiſtoriam putet Gratio deſignatam, quæ apud Livium perſcripta eſt De Pleminii in compilandis Proſerpinæ Theſauris audaciâ & pœnâ, per me licet. Locum hunc Livii, Lib. 29. Sect. 8. amicus mihi ſuggeſſit, & cum Gratianis ſanè convenit unicè.

375. *Ex alto.*] Heinſius. *Exhalat.* at pace tanti viri nihil hîc mutandum cenſeo. Nam unde quæſo exhalat iſtud vitium? E terrâ ſcilicet. atqui alterum ſententiæ membrum conficit vitium terrenis vaporibus ortum. Undecunque lues orta eſt, ſive ex alto & vaporibus ex aere peſtife-

Peſtiferis;

Peſtiferis ; ſeu terra ſuos populatur honores :
Fontem averte mali. trans altas ducere valles
Admoneo : latumque fugâ ſuperabitis amnem.
Hoc primum effugium lethi. tum dicta valebunt
Auxilia, & noſtrâ quondam redit uſus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus una poteſtas :
Diſce vices, & quæ tutela eſt proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,
Præcipitat letale malum : ſic tutius ergò

ANNOTATIONES.

ris, ſeu terra ſuos populatur honores, *&c.*

378. *Superabitis.*] Tu & tui canes.

380. *Quondam.*] Ità reſcripſi amici monitu. Libri omnes *quidam.* quod poſitum pro *aliquis* jure diſplicebat.

381. *Motus.*] Diſorders. V. 391.

Scilicet hôc motû ſtimuliſq; potentibus acti, &c.

Poteſtas.] Non in omnibus canum motibus una eademque vis eſt, non iidem affectus & Symptomata.

382. *Diſce vices.*] Diſcrimina & variationes ſe invicem excipientes.

383. *Tardis.*] Non ſanabilis tardis, & ſtultè morantibus

384. *Præcipiat.*] Logi Edit. Ità hunc verſum exhibet.

Præcipiat letale malum. ac tutius ergo.

Nemini non diſplicere languidum illud *ſic tutius* puto. nonne itaque tibi videtur poſſe legi, præſertim cum mora tanto redit damno.

Præcipita letale malum maturius ergo.

Anteire auxiliis, & primas vincere cauſas.

Anteire

Anteire auxiliis, & primas vincere causas.
Namque subit, nodis quà lingua tenacibus hæret,
(Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.
Ille, ubi salsa siti percepit viscera longâ,
Æstivos vibrans accensis febribus ignes,
Moliturque fugas, & sedem spernit amatam.
Scilicet hoc motu, stimulisque potentibus acti
In Furias vertêre canes. ergo insita ferro
Jam teneris elementa mali caussasque recidunt.
Nec longa in facto medicina est ulcere purum.

ANNOTATIONES.

ac. tutius mutandum est, in *Maturius*. Neque hæc audacia est, prius enim *M* in fine τοῦ *malum* absorpserat sequens ut passim fit. Sed & *præcipiat*, quod Logi Editio exhibet fortè benè se habeat, hoc nimirum sensu. *Præcipiat* itaq; custos canum anteire, *i. e.* occupet *anteire lethale malum maturiùs, & primas vincere causas.*

387. *Incondita.*] Informis, shapeless.

388. *Ille.*] Ubi Vermiculus ille penetravit, occupavit viscera longâ siti. ea enim est vis verbi, *percepit.* quam emendationem Gronovio debes. Libri omnes *præcepit.* Vid. Gronov. ad Liv. Lib. 7. Sect. 26.

389. *Vibrans.*] Ità ex conjecturâ Gronovius. olim *vibrant.* nullo sensu. *Æstivos.*] Quales in Æstu solet. *Accensis.*] Olim *accensi.*

390. *Amatam.*] Vlitius pro *amaram.* rectè. Nec Heinsiana displicet lectio, *Avitam.*

392. *Vertere.*] Versi Sparge

Sparge ſalem, & tenui permulce vulnus olivo.
Ante relata ſuas quàm nox bene compleat umbras,
Ecce aderit; factique oblitus vulneris ultrò
Blanditur menſis, Cereremque efflagitat ore.
Quid priſcas artes, inventaque ſimplicis anni
Si referam? non illa metûs ſolatia falſi
Tam longam traxere fidem. collaribus ergò
Sunt qui lucifugæ criſtas inducere Mælis

ANNOTATIONES.

fuere. frequens eſt illa Ellipſis pronominis poſt verba activa.

399. *Quid.*] Quid ſi referam veterum artes, & reperta ævi imperitioris? operæ pretium ſanè foret. Non enim illa inventa, (ſi fuiſſent ſolummodò Σίλυητες δεισιδαιμονίας, ad deliniendas ſuperſtitioſorum mentes fabricata) tam diu fidem apud omnes ſuſtinuerant.

402. *Lucifugæ.*] Quià noctu ferè tantum graſſatur. Salmaſ. ad Solin. quià foveas plerunque ſub arboribus inhabitat. Vlit.

Mælis.] Hanc eandem eſſe cum *Taxo* (Badger) cenſet Vlitius. contra Salmaſius, qui pro *Cato putoſo* (Polecat) habet, vel viverrâ; quæ Græcè dicitur κτίς: unde κτιδίη galea vel galerus ex pelle hujus animalis factus, & ſanè ſic Gratius,

—*Canáq; è Mæle galeri.*

Hinc fortaſſe ſua lux huic loco reddatur; nemo enim interpretum hucuſque intellexit, quid ſit *inducere criſtas Mælis collaribus* canum. Criſta autem galeæ pars ſumma, & pro ipsâ Galeâ ſumitur. licet igitur primâ fronte nihil ultrà videatur intelligi hiſce verbis, quàm Veteres inter præcepta tradidiſſe, collaria canum ad amoliendam faſcinatio-

Juſſere,

Juſſere, aut ſacris conſerta monilia conchis,
Et vivum lapidem, & circà Meliteſia nectunt
Curalia, & magicis adjutas cantibus herbas. 405

ANNOTATIONES.

nem morboſque pelle mælinâ induci tegique debere: quis tamen ferre poteſt *Criſtas* ſimpliciter dictas pro pelle vel corio Mælino, ſi non Metaphoram duram minùs reddiderit cogitando, tum galeas ex pelle Mælinâ fieri ſolitas, tum uſum galearum eundem eſſe. quidni itaque Gratius rem ſimplicem ita dictis efferat & grandiorem det? Sunt igitur qui piloſam pellem Mælinam, (quæ quaſi altera galea protegat canes, defendatque malignos faſcinantium ictus) collaribus eorum induci juſſere.

403. *Sacris.*] Veneri dicatis. Propertius. *E rubro concha Eryoina ſalo.* Martial. Lib. 2. Epigram. 47. *Lævior ô conchis, Galle, Cytheriacis.* Vlit.

404. *Vivum.*] Latini lapidem Græcis πνεῖτην dictum vocant lapidem vivum. ſic ad hæc verba Turnebus, quæ à Plinio ſumpta ſunt, L. 36. C. 19. & Iſidor. Lib. 16. Cap. 4. dubitat Vlitius, an eundem Gratius voluit, cum tamen nihil ſit apud Plinium, Iſidorum, locis citatis planiùs expreſſiuſve.

Meliteſia.] Melite inſula inter Africam & Siciliam. Hodiè Malta: περίκειται δὲ τῇ Παχύνῳ. Strabo. Vid. Bochartum, L. 1. partis poſterioris Geograph. S. lege potius cum Vlitio *Melitenſia*, nam ſic Lucretius.

405. *Curalia.*] Ità apud omnes Auctores hoc verbum, quoties prima producta eſt, legendum monent Vett. Libri. Vid. Ovid. Metam. L. 4. Græci κυφάλιον.

Plinius de Coralio. Lib. 32. Cap. 2. *Aruſpices Indorum vateſque imprimis religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur.* Vlitius.

Ac

Ac ſic offectus, oculique venena maligni
Vicit tutelâ pax impetrata Deorum.
At ſi deformi lacerum dulcedine corpus
Perſequitur ſcabies, longi via peſſima lethi;
In primo acceſſu triſtis medicina; ſed unâ
Pernicies redimenda animâ, quæ prima ſequaci
Sparſa malo eſt, ne dira trahant contagia vulgi.

ANNOTATIONES.

406. *Offectus.*] Ab *officio*, non ut Barthius, ab *offendo*.

407 *Pax.*] V. 482. ad illa verba,

Supplicibuſq; vocanda ſacris tutela Deorum.

ſic Vlitius. Geminum germanum eſt, quod præceſſit, *tutelâ pax impetrata Deorum. tutela* enim *Deorum, non pax Deorum* interpretandum. Nam *Pax* ibi pro integritate ſumenda eſt. Nihil pejus. Pax enim Deorum, eſt favor, benevolentia, gratia Deorum redux. Deus immittit morbos; tutela verò curaque, quæ vincit ſanatque mala, dicta eſt ſimul placare & impetrare favorem Deorum.

408. *Dulcedine.*] Quid ſibi vult hæc *dulcedo*? num morbidus humor eſt dulcis? at nihil minus. num voluptatem ſcabendo natam intelligit? non credo. Scribe itaque *ſalſedine*. ſalſus enim ille humor. eaque acrimonia impellit canes ad corpus ſuum lacerandum. Tum qui Longobardicam ſcripturam novit, ſentiet mutationem non eam eſſe, quæ primâ fronte videtur.

410. *Sed unâ.*] Sed utcunque triſtis ſit medicina, unius animæ jacturâ, quaſi quodam redemptionis pretio, malum illud pernicioſum ſiſtendum & avertendum eſt.

Quod

Quod ſi dat ſpatium clemens, & promovet ortu
Morbus, diſce vias, &, quà finit, artibus exi.
Tunc & odorato medicata bitumina viro,
Imponaſque pices, immundæque unguen amurcæ.
Miſcuit & ſummam complectitur ignis in unam.

ANNOTATIONES.

413. *Promovet.*] Ἀπὸ κοινοῦ repetendum eſt *clemens*. Si morbus clemens, lentus & paulatim ſe diffundens dat ſpatium admovendis medicinis, & clemens, *i. e.* paulatim & ſenſim promovet ſe ortu, *i. e.* ab ortu, ex quo primùm oritur; tum diſce vias, &c.

415. *Viro.*] Pro ipsâ ſcabie accipit Vlitius, & *medicata*, ſanantia exponit. poſteà, odore peſtifero infecta, exponit, & in ſecundis curis firmatum it. utrumque malè. neque enim *odoratum* idem quod graveolens unquam, ſed è contrà; neque *medicata* ſimpliciter ſumptum eſt pro *infecta*. Omnino legendum eſt, (ut omnes medici, & ipſe Gratius, v. 474.) *vino*. Sic enim ille,

——— *defuſaque Maſſica priſco*
Sparge cado; Liber tenues è pectore curas
Exiget; eſt morbo Liber medicina furenti.

Κυνοσφίριον Edit. Lutetiæ cum rei accipitrariæ ſcriptoribus ſic jubet, μετὰ οἴνου ἐνώδους. Sic Celſus. *Medicata* autem idem valet ac medicorum more compoſita & concinnata. Medicinally prepared, impregnated.

416. *Amurcæ.*] Ità ſordes olei vocantur. Vid. Virgil. Georg. 3. v. 448. 9, 10, 11, 12. ubi hæc, quæ apud Gratium occurrunt, totidem fere verbis invenies. Sic Celſus, ſic Columella, Lib. 6. Cap. 12. & Cap. 31.

417. *Summam.*] In unum corpus, in unam maſſam. quid ſi hìc le-

Inde

Inde lavant ægros. eſt ira coercita morbi
Laxatuſque rigor; quæ te ne cura timentem
Differat, & pluvias & Cauri frigora vitent:
Sic magis, ut nudis incumbunt vallibus æſtus,
A vento, clarique faces ad ſolis, ut omne
Exudent vitium, ſubeatque latentibus ultrò,
Quæ facta eſt medicina, vadis. nec non tamen illum
Spumoſi catulos mergentem litoris æſtu
Reſpicit, & facilis Pæan adjuvit in artes.

ANNOTATIONES.

geretur *maſſam*? mihi ſanè non diſpliceret? Tu verò, Lector, ut lubet.

419. *Ne cura.*] Ità Gronovius. olim, *natura*. Senſus verborum hic eſt. Quæ medicina, quæ curatio ne ſuo careat effectu, ne te dubium pendentemque animi diutius teneat, amovendi ſunt catuli à pluviis & Cauri frigore.

421. *Sic magis.*] Idque eò magis, cùm æſtus incumbunt vallibus nudis, & ſpinarum vacuis, ne iis ſe adfricent ſcabioſi canes. Vlitius, amicus tamen meus loco *ſic* reponit adverbium *Hîc* recte. *Vitent catuli*, inquit Gratius, *pluvias & frigora. Hîc* præſertim, ubi *nudis incumbunt vallibus æſtus, à vento* poſitis *clarique faces ad Solis. Hîc magis* Angl. dicitur, **Here to chooſe.**

423. *Exudent.*] Heinſius *Exudet*. Sic Virgil.

—*atque exudet inutilis humor.*

424. *Vadis.*] Venis. quæ ſunt quaſi totidem ſanguinis alvei, rivique.

426. *Adjuvit.*] Præceſſerat, *reſpicit*. frequens hæc Gratio variatio temporis. ſupra.

Miſcuit, & ſummam complectitur ignis in unam.

O rerum

O rerum prudens quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, si vincere curent
Desidiam, & gratos agitando prendere fines!
Est in Trinacriâ specus ingens rupe, cavique
Introrsum reditus. circum atræ mænia sylvæ
Alta premunt, ruptique ambustis faucibus amnes.

ANNOTATIONES.

& passim. *Facilis.*] Pæan facilis in artes. idem mihi videtur velle, quod suprà,

——*nec expertos fallet Deus.*

Pæan paratum quovis loco facilemque peritis se adjutorem dat.

427. *Quantam.*] O. Lib. *quantum.* nec interpretes animadvertunt. Transit etiam Vlitius, nec ille quicquam Sentit. at verborum series hæc est. O *rerum prudens experientia, quantam materiem boni largita* es *vulgo*, i. e. mortalibus.

428. *Curent.*] Nempe mortales.

429. *Agitando.*] Multâ secum agitatione, diuturnâ meditatione. translatio ab agitatione curruum in Hippodromis.

430. *Rupe.*] Ætnam describit Gratius his versibus, ut ex Æliano patet, qui L. 9. Cap. 3. sic scribit. Ἐν Αἴτνῃ ἄρα τῇ Σικελικῇ Ἡφαίστου τιμᾶται νεώς, καὶ ἔστι πρόβολα, καὶ δένδρα ἱερὰ, καὶ πῦρ ἄσβεστόν τε καὶ ἀκοίμητον. Vlitius.

431. *Reditus.*] Flexus, & Mæandri.

Atræ.] Arborum vel densitate, vel fuligine.

Mænia.] Juga montis, instar mænium, specum illam cingentia.

432. *Ruptique.*] Erumpentes se, effusi, ferventes scilicet ebullientesque.

Faucibus.] Patulis fontium oribus.

Vulcano condicta domus, quam ſubter eunti
Stagna ſedent, venis oleoque madentia vivo.
Huc defecta malâ vidi pecuaria tabe
Sæpe trahi, victoſque malo graviore magiſtros.
Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur
Incola Sancte tuam, des ipſis ultima rebus
Auxilia: &, meriti ſi nulla eſt noxia tanti,
Tot miſerere animas, liceatq; attingere fontes,

ANNOTATIONES.

433. *Condicta.*] Conſtituta, deſignata. non tamen ſatisfacit mihi omni ex parte.

434. *Sedent.*] Lenta hærent, ſcilicet fallente motu manantia.

Venis oleoque.] Ἐν διὰ δυοῖν. pro venis olei vivi.

Vivo.] Tripliciter exponit Vlitius. Mobile, ut vivum argentum dicimus. Vel, quia diutiſſimè ardet. Vel, quia naturale eſt non artificiale, ut *Vivi Lacus.* Georgic. 2.

— *vivoque ſedilia ſaxo.* Æneid. 1.

Madentia.] Scatentia, plena.

436. *Trahi.*] Non æquè convenit hoc verbum cum *Magiſtros.* Solenne tamen hoc Poetis, nec exemplis opus eſt.

Victoſque malo.] Cui pares non fuerunt, in quo ſanando ſua illos defecit ars.

438. *Ipſis.*] Heinſius, *lapſis.* rectè. Vlitius. *Ipſe his.*

439. *Et.*] Ità O. Cod. rectè. præter Vlitianam, quæ *aut* exhibet.

Si nulla.] Si nulla eſt culpa, ſi nihil à nobis peccatum eſt, quod tantum mali mereatur, & deprecationibus noſtris aures meritò occludat.

Sancte,

Sancte, tuos: ter quiſque vocant, ter pinguia libant
Thura foco: ſtruitur ramis felicibus ara.
Hîc dictu mirum, atque alias ignobile monſtrum
Adverſis ſpecubus, ruptoque è pectore montis
Venit, ovans auſtris & multo flumine flammæ.
Emicat ipſe, manu ramum pallente ſacerdos
Termiteum quatiens: procul hinc extorribus ire
Edico præſente Deo, præſentibus aris,
Queis ſcelus aut manibus ſumptum, aut in pectore motum eſt.
Inclamat. cecidere animis trepidantia membra.

ANNOTATIONES.

441. *Vocant, ter.*] Lib. Vet. *Vocantes.* Sed Barthii conjecturam prætulit Vlitius, itaque nunc obtinet iſta lectio. Non tamen Vetus diſplicet.

442. *Felicibus.*] Feſtis, ſacris. Ita Servius interpretatur *felici comptus olivâ.* Vlitius.

445. *Ovans.*] Vide Pſalm. 18. ubi multa his ſimilia invenies, quoad phraſin & loquendi modum.

449. *Sumptum.*] Heinſius legit,

Queis ſcelus aut manibus, ſonti aut in, &c.

Nimirum diſplicebat illi *ſumptum*, quod tamen ſaniſſimum eſt, ne dicam elegans. manus enim inſtrumenta ſunt quibus omnia propemodùm perficimus. Sumitur itaque manibus, quicquid miniſterio manuum agitur.

450. *Animis.*] Om. Lib. *animi.* at Vlitius, *animis* ſcribendum jubet, *i. e.* una cum animis. Vel. *cecidere animi & trepidantem.* quid ſi *minis* legere-

O quiſquis miſero fas unquam in ſupplice fregit,
Qui pretio fratrum, melioriſve auſus amici
Sollicitare caput, patrioſve laceſſere Divos;
Illum agat infandæ comes huc audacia culpæ,
Diſcet, commiſsâ quantum Deus ultor in irâ
Pone ſequens valeat. Sed cui bona pectore mens eſt
Obſequiturque Deo, Deus illam molliter aram
Lambit, & ipſe ſuos ubi contigit ignis honores,

ANNOTATIONES.

tur? audito nempe illo ſacerdotis edicto, collapſa extemplo cecidere ſontium membra.

451. O.] Quicunque jura ἱκτήρια in ſupplices ſanctè obſervanda violavit, qui fratris vitam, amicive, fratri longè anteponendi, auſus eſt pretio accepto labefactare, & in diſcrimen vocare, patrioſve perjuriis, ſacrilegio, vel denique proditione patriæ laceſſere & irritare Divos, utinam ſua huc illum audacia agat trudatque in perniciem. Audacia, inquam, illa, quæ ingentia comitatur ſcelera, eademque animos improborum firmat.

453. *Patrios.*] Si quis neſcit, quinam ſint Dii patrii (quos Græci vocant Πατρῷοι) adeat Voſſium ad Catullum in initio; Gronovium verò maximè ad Statii, Lib. 4. Syl. 8. p. 290.

455. *In irâ.*] Novè dictum. ut, *commiſſa piacula* apud Virgilium. ob offenſas commiſſas, quæ iram merentur. vel quæ ab affectibus animi turbidis proveniunt.

457. *Deus.*] Vulcanus, idem qui *ignis* in ſequenti verſu. Extructam enim ritè aram flammæ ſponte ſuâ incendunt.

458. *Honores.*] Sacrificia ſibi oblata. Virg. Æn.

Defugit

Defugit ab ſacris, rurſumque reconditur antro.
Huic fas auxilium, & vulcania tangere dona.
Nec mora, ſi medias exedit noxia fibras,
His lave præſidiis, affectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, & ipſa
Artem aluit natura ſuam. Quæ robore peſtis
Acrior? aut letho propior via? ſed tamen illî
Hinc venit auxilium validâ vehementius irâ.
Quod primam ſi fallet opem dimiſſa facultas,
At tu præcipitem, quà ſpes eſt proxima, labem

ANNOTATIONES.

L. 3. v. 118.
—meritos aris mactavit honores.
Et paſſim.

461. *Nec mora.*] Ità Geſnerus. rectè. olim *Hæc mora.* ut poſteà *Hebroden* pro *Nebroden.*

463. *Excutiens.*] Non hoc à Gratio eſt; pendet enim ſententia, at ſi, *excuties*, legeris, efficacior loci vis, rotundior ſententia, laudantique magis accommodata.

Deus Auctor.] Vulcanus ipſe hujus muneris dator eſt, & *ipſa* loci *natura*, ſulphuris oleique plena, hanc nativam ingenitamque ſibi vim & artem medendi creat fovetque.

466. *Vehementius.*] Potentius; quod ſatis ſit validam morbi iram coercere. ità V. 418.

467. *Quod primam.*] Quod ſi facultas illa & opportunitas medendi elapſa irritam reddet primam opem, protinùs aggredere labem ad præceps, ad ſummum jam evectam, quà proxima affulſerit ſpes.

Adgredere. In ſubito ſubita eſt medicina tumultu.
Stringendæ nares, ſcindenda ligamina ferro
Armorum, geminâque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa eſt avidæ vehementia peſti.
Ilicet auxiliis feſſum ſolabere corpus:
Subſiduaſque fraces, defuſaque Maſſica priſco
Sparge cado. Liber tenues è pectore curas
Exiget, eſt morbo Liber medicina furenti.
Quid dicam tuſſis, quid mœſti damna veterni,
Aut incurvatæ ſi qua eſt tutela podagræ?
Mille tenent peſtes, curâque potentia major.
Mitte age; non opibus tanta eſt fiducia noſtris.

ANNOTATIONES.

472. *Hinc.*] Ex ſanguine nempe corrupto.

474. *Subſiduaſque.*] Sordes olei, quæ ſubſidunt & ad imum feruntur.

Defuſaque.] Ita lego, utcunque codices *diffuſa.*

Priſco.] Eligit *Maſſica priſco defuſa cado*, quià vinum vetuſtate acerbum minus eſt, & ulceribus lavandis mollius.

475. *Tenues.*] Quæ facilè ſe inſinuant.

477. *Tuſſis.*] Κυνάγχη. Canibus ſuibuſque familiaris. Virg.

——— *quatit ægros*
Tuſſis anhela ſues, & faucibus angit obeſis.

Veterni.] Quorſum *mœſti* dicitur. an quià canem mœſtum & κατηφῆ reddit? an deplorat vates damna veterno oriunda?

478. *Incurvatæ.*] Log. Edit. *Incuratæ.* difficultèr ſanabilis. quod cum Polluce convenit. ἡ μὲν ποδάγρα ὀ πάντῃ ἀνίατος.

Mitte,

Mitte, Anime ; ex alto ducendum numen Olympo,
Supplicibuſque vocanda ſacris tutela Deorum.
Idcirco aeriis molimur compita lucis,
Spicataſque faces ſacrum, ad nemora alta, Dianæ

ANNOTATIONES.

481. *Mitte, animæ.*] Ità omnes libri. at mihi Barthiana conjectura magis placet. *mitte, anime* ; videtur enim Gratius rei magnitudine deterritus reprimere ſe, animumq; ulteriora conantem ſiſtere. mitte, inquit, anime, age mitte plura conari ; non ea fiducia eſt noſtris, vel humanis opibus ; *ex alto ducendum numen Olympo, ſupplicibuſque vocanda ſacris tutela Deorum.* Solenne hoc Poetis Muſam liberius evagantem & nimis alta ſperantem refrænare, nec Horatio & Pindaro ſolùm, ſed & tardiſſimis.

483. *Compita.*] Hîc mirè æſtuat Vlitius, nec tamen ſe expedit. *Compita.* quia ad rem ſuam magis facit ſcilicet, hîc interpretatur conventus hominum, cœtus ; non loca ubi conveniunt, & teſtes adducit *Iſidorum.* qui ſic ſcribit, *compita ſunt ubi uſus eſt conventus fieri ruſticorum.* Varronem. *ubi compitus erat nullus.* Propert. *& de te compita nulla tacent.* priora exempla contrarium ſuæ ſententiæ evincunt. ultimum puto verum ; non tamen ideò dixeris *moliri compita, pro convenire.* at mihi videtur ille *moliri compita,* qui, excîſis arboribus, reddit vacua interſtitia, ubi facilè eatur. Anglicè, **Cut a glade.** Et medium illud diſcrimen luci, quaſi centrum erat, quo tendebant diverſa interſtitia.

484. *Sacrum.*] Iſtud *Sacrum* cum *faces* connecti per appoſitionem, vix ferendum cenſeo ; adeoque tuam, Turnebe, lectionem an emendatio-

Sistimus, & solito catuli velantur honore;
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravêre arma, sacris & pace vacantia festâ.
Tum cadus, & viridi fumantia liba feretro
Præveniunt, tenerâque extrudens cornua fronte
Hœdus, & ad ramos etiamnum hœrentia poma.
Lustralis de more sacri, quo tota juventus
Lustraturque Deæ, proque anno reddit honorem.
Ergò impetrato respondet multa favore
Ad partes, quà poscis opem: seu vincere sylvas,
Seu tibi fatorum labes exire minasque
Cura prior, tua magna fides tutelaque Virgo.

ANNOTATIONES.

nem lubens amplector, *Nemorale* legentis pro *nemora alta*. Sic omnes Auctores, qui de hâc re egerunt. Ovid. L. 3. Metam. *antrum nemorale*. 14. *stagnum nemorale*. & *templum nemorale*. V. Strabo: L. 5. p. 239.

485. *Catuli.*] Statius. L. 3. Sylva. 1.

——— *ipsa coronat*
Emeritos Diana canes, & spicula tergit
Et tutas sinit ire feras.

Vlitius.

487. *Stravêre.*] Nempe sacrificantes. vel παθητικῶς sumendum loco τοῦ strata fuere.

Vacantia.] Non utenda in feras, ob sacra festamque pacem.

493. *Respondet multa.*] *Multa* fæminino genere. benigna exaudit respondetque precibus. vel quoad multa, in multis.

Restat

Reſtat equos finire notis, quos arma Dianæ
Admittant. non omne meas genus audet in artes.
Eſt vitium ex animo; ſunt quos imbellia fallant
Corpora; præveniens quondam eſt incommoda virtus.
Conſule, Penêi qualis perfunditur amne
Theſſalus, aut patriæ quem conſpexere Mycenæ
Glaucum. Nempe ingens, nempe ardua fundit in auras
Crura. Quis Eleas potior luſtravit arenas?

ANNOTATIONES.

497. *Finire.*] Percenſere notis, *i. e.* genere & patriâ. *Vlitius.*

499. *Ex animo.*] Imbelli, vel fallente. quod ex ſequentibus petendum eſt. Tales Oppianus deſcribit Iberos equos. L. 1. v. 285. ἀναλκιδες ἵπποι.

500. *Præveni.*] Quandoque præceps & præfervida virtus venationi incommodos reddit.

502. *Theſſalus.*] Primas huic omnes ferè concedunt; Varro catalogum præſtantium equorum ità inchoat. Lib. 2. Cap. 7. *Itaque ad hoc nobiles à regionibus dicuntur: In Græcia Theſſalici equi, &c.* Vlit.

Conſpexere.] Cum admiratione videre.

503. *Glaucum.*] Virg. Georg. 3. *Honeſti Spadices Glaucive.* commendat itaque Gratius inter Mycenæos ſive Argivos equos, qui glauci ſunt, & qui non tantum ex ſanguine deſcendunt, ſed ipſis Mycenis in patriâ ſuâ educati ſunt ad Olympiacum certamen Elide celebratum. *Vlit.*

Ingens.] Maxima corpora maximi animi capacia plerumque ſunt, modò non enormia. *Vlit.*

Ardua.] *Generoſus pullus in*

Ne

Ne tamen hoc attingat opus; jactantior illî
Virtus, quàm silvas, durumque lacessere Martem.
Nec sævos miratur equos terrena Syene.
Scilicet & Parthis inter sua mollia rura

ANNOTATIONES.

arvo altiùs ingreditur. Virg.

505. *Opus.*] Venationem.

Jactantior.] Equorum Mycenæorum virtus magis pompæ & ludicris certaminibus nata; nec robusta satis quæ feras sylvestres, durumque lacessat Martem. contrà Cappadocum equi apud Oppian. Lib. 1. v. 202, 203.

Κοίνυς εἰς πόλεμον μεγαλήνορα θωρήσσοιο
Ἄιθωνας τ' ἐπὶ θῆρας.
ἐπὶ μάλα θαρσύνουσιν
Θηρσίν τ' ἐνναλίοισιν
ἐναντία δηρήσαθαι.

507. *Nec sævos.*] Ad hæc verba sic Doctissim. Bochartus in Hierozoi. *Hoc videtur innui, equos circà Syenem esse parum bellicosos.* Resolvitur itaque *nec* in *&* *non*, atque hæc verborum structura erit. Et *terrena* (Bochartus præfert *extrema*, ut & Vlitius) *Syene miratur equos non sævos.* Malim *extrema*, inquit Vlitius, quià Elephantinen ac Syenen claustra olim Romani Imperii fuisse tradit Tacitus.

508. *Inter.*] Malim, *propter sua mollia crura*, quià Auctore Vegetio, Lib. 1. Cap. 56. *Parthis consuetudo est equorum gressus ad delicias Dominorum hâc arte mollire.* Sic Bochartus.

Nihil tamen, nihil est mutandum; memoria fretus enim erravit maximus ille Vir. quod ipsâ luce clarius erit, siquidem contextum perpenderis, qui hoc modo se habet. Parthis, fateor, suus constitit honor inter sua mollia rura, verùm age, veniant ad loca saxosa, confragosa Caudini Taburni, nimirum deficient protinus,

Mansit

Manſit honor, veniant Caudini ſaxa Taburni,
Garganumve trucem, aut Ligurinas deſuper alpes,
Ante opus excuſſis cadet unguibus: & tamen illî
Eſt animus, fingetque meas ſe juſſus in artes,
Sed juxtà vitium poſuit Deus. At tibi contrà
Callæcis luſtratur equis ſcrupoſa Pyrene.
Non tamen Hiſpano Martem tentare minacem
Auſim. Murcibii vix ora tenacia ferro

ANNOTATIONES.

& excuſſis cadent unguibus.

509. *Veniant.*] Mira loquendi negligentia, nec optimis tamen auctoribus inſolens. *Parthis* plurium numero poſitis, mutato eo de ſingulari hic porrò loquitur: *veniat*, &c. exempla hujus ἀκαταλληλίας, ſi uſquàm alibi, hoc in poematio plurimum obvia. non longè abhinc: *Strymonio facilis tutela Biſaltæ: Poſſent, &c.* & *per illos cantatus Graiis Agragas.* ſed poſtmodo iterum ad ſingularem redit: O *quantus in armis Ille meis.* Vlitius.

Taburni.] Samnitum mons olivifer prope Caudium.

514. *Callæcis.*] Callaici (ſive Callæci) populi Hiſpaniæ montanæ regionis multum incolentes. Vid. Strabo. L. 3. p. 152. per Callæcos equos Hiſpanos vult Gratius, (ut ex proximo patet) quibus duras ungulas, animum verò imbellem aſcribit.

516. *Murcibii.*] Fortè *Murcinii*, à Μύρκιννος, vel *Myrcinii* à Μύρκιννος, quæ Stephano eſt, πόλις κτιθεῖσα παρὰ τῷ Στρύμονι ποταμῷ. eodem ferè loco & Biſaltæ ad Strymonem, ità ut utrumq; pro Thracio poſitum videatur. U-

Conce-

Concedunt. at tota levi *Naſamonia virgâ*
Fingit equos. Piſis Numidæ ſolvere *jugales*,
Audax & patiens operum genus. ille vigebit
Centum actus ſpatiis, atque eluctabitur iram. 520

ANNOTATIONES.

ti mox *Naſamones* & *Numidæ*. *Murcibii* enim ne fando quidem cogniti. *Vlit.*

517. *Virgâ.*] Codex Longobardicus hîc loci mutilus erat. lacunam ex ingenio ſupplevit Vlitius, Lucani loco ductus, qui ſic Lib. 4.

—*nudo reſidens Maſſylia dorſo*
Ora levi flectit frænorum neſcia virgâ.

518. *Numidæ.*] Numidis infrænibus alii id attribuunt, quod Naſamonibus Gratius; niſi utroſque, ut opinor, pro Libycis poſuit. Libyci enim equi celebratiſſimi & olim & hodie, quos *Barbaros* nunc vocamus. nec alii quiquam tantum venatione commendabiles. His Numidas venantes velociſſimas quoque feras conſequi tradit Xenophon junior, c. 24. ità ut meritò in Piſæo certamine iis uſi fuerint, quod canit noſter. *Vlit.*

519. *Patiens.*] Sic de illis Xenophon, ſic Oppianus; & Ælian. Lib. 3. de animal. c. 2. *Vit.*

520. *Centum.*] Ὑπερβολικῶς. unumquodque certamen conſtabat ſeptem ſpatiis. Quis itaque credat unum equum quatuordecim certaminibus ſuffeciſſe? *Vlit.* Heinſius legendum cenſet *Septem* loco τῶ centum. Sed rectè Vlitius.

Iram.] Sententia hujus loci ſatis quidem clara, at in verbis difficultas. quid enim eſt *iram eluctari*? num, ſolitos retinere animos, vimque infractam? at nullum occurrit exemplum ſimilis ſignificationis. Malo itaque irâ pro *iram* error natus

Nec

Nec magni cultus: ſterilis quodcunque remiſit
Terra, fuit; tenueſque ſitim producere rivi.
Sic & Strymonio facilis tutela Biſaltæ;
Poſſent Ætnæas utinàm ſe ferre per arteis;

ANNOTATIONES.

eſt ex modo ſcribendi. Nota enim ablativi casûs, inſcitiâ exſcriptoris, converſa eſt in *m. eluctabitur irâ* idem eſt ac ſi dixiſſet, eluctabitur ardens, ardore animi nondum imminuto per ſpatia eluctabitur.

521. *Cultus.*] Idem, quod poſteà dicit, *facilis tutela.*

522. *Fuit.*] Sic Vlitius. Barthius conjecit, *ſatis* vel *cibus.* & *producere* poni volunt loco producebant. Nihil ſanè certi eſt ad hunc locum, quod afferam; aliquid tamen, opinor, quod ſpeciem veri habet. Sic itaque lego.

Nec magni cultus: ſterilis
quodcumque remiſit
Terra famem, tenueſque
ſitim produxere rivi.

Neſciebat ſcilicet exſcriptor, *produxit*, unde τὸ *famem* pendet, ſubintelligi in *produxere*: ipſum quoque *produxere.* in penultimâ corripi poſſe ignorabat. hinc mutatio & loci depravatio. Quis neſcit omnia olim præterita in *erunt* ex arbitrio ſcribentis modò longa modò brevia fuiſſe? quidni & præterita in *ere* poſſent eâdem lege brevia reddi? eadem ſyllabarum quantitas in reliquis temporibus, ubi geminatur terminatio ejuſdem perſonæ, ſemper occurrit. ut in *Legeris* & *legere*, ſecunda perſona præſentis paſſivi. idem quoque in reliquis. Sed hæc diffidenter.

523. *Biſaltæ.*] Populi ad Strymonem, Thraciæ fluvium. equum Biſaltam, *i.e.* Thracium, tueri, paſcere, nutrire facile eſt.

524. *Ætnæas.*] Conjeci aliquando.

Poſſent atque meas utinàm ſe ferre per artes.

Ut modo, *non omnia meas*

Quid

Qui ludus Siculis. Quid tum, si turpia colla,
Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos
Cantatus Graiis Agragas, victæque fragosum
Nebroden liquere feræ. O quantus in armis
Ille meis, cujus dociles pecuaria fœtus

ANNOTATIONES.

genus audet in artes. Aut Ætnææ artes pro Pyrrhicâ equestri accipiendæ, quam primus in Siciliâ instituisse Æneas traditur, aut saltem de velocitate, quâ in Olympicis excellu erunt Ætnæi & Siculi equi. Vlitius. Cluverius Siciliæ, Lib. 2. sic hunc citat versum.

Possent Ætnæas utinam se ferre per Arces.

Juga montis Ætnæ intelligit. rectè. His enim opponuntur Siculi equi, quibus, quantumvis aliàs specie deformi, ludus erat Nebrodes superare montes & damas hinnulosque inde pellere.

526. *Tenuis spina.*] Laudatur equus Varroni, *spinâ maximè duplici.* & Maroni, cui *duplex* agitur per lumbos spina. Pollux inter vitia reponit, ὀσφὺν ὀξεῖαν. Vlitius.

527. *Cantatus*] Theronis Agrigentini equos & Xenocratis plus semel celebrat Pindarus; utpote in Ludis Græcis optimos. Hieronis quoque Syracusani & Chromii Ætnæi victorias equestres, studiumque in alendis equis singulare. Silio, *altor equorum* vocatur *Agragas.*

528. *Nebroden.*] Strabo. Νεβρώδη ὄρη. à νεβρὸς Hinnulus. montes Siciliæ dicti Nebrodes, non tantum eâ parte, quâ in Tuscum prominent mare; sed nomen hoc ultra medium etiam insulæ versus mare Africum ad fontes usque Acragantis & Halyci amnium extensum fuit. *Cluver.*

529. *Cujus.*] Siculorum equorum *dociles fœtus sufficient pecuaria*, quibus *ausit*

Sufficient,

Sufficient, queis Chaonias contendere contrà 530
Aufit, vix meritâ quas ſignat Achaia palmâ.
Spadices vix Pellæi valuere Ceraunî,
Et tibi devotæ magnum Pecuaria Cyrrhæ
Phæbe decus, noſtras agere in ſacraria tenſas.
Venanti meliùs pugnat color: optima nigri 535

ANNOTATIONES.

aliquis *contendere contra* Epiroticas equas (Chaonia enim pars Epiri) *quas Achaia* nimiis honoribus. ideoque vix meritis, celebrat.

530. *Sufficient.*] Vide Georg. 3. v. 65.

Atque aliam ex aliâ generando ſuffice prolem.

& paſſim.

532. *Spadices.*] Aul. Gellius. L. 2. C. 26. *Phæniceus, quem tu Græcè φοίνικα dixiſti, & rutilus & ſpadix Phœnicei συνάνυμος, qui factus è Græco noſter eſt, exſuperantiam ſplendoremq; ſignificant ruboris.*

Ceraunî.] Equi Macedonici. Ceraunii enim ſeu acroceraunii montes ſunt, qui Epirum à Macedoniâ diſterminant. quamvis autem non ad Pellam uſque pertineant, tamen quià Pella Macedoniæ Metropolis & multis nominibus celebris ſit, pro ipsâ Macedoniâ poſitam facilè patior, & Pellæum pro Macedonico.

533. *Et.*] Ordo hic eſt. *Et pecuaria magnum decus Cyrrhæ tibi, Phœbe, devotæ vix valuere noſtras, &c.* Cirrha ſive Cyrrha oppidum Phocenſe. *Vlit.*

534. *Sacraria.*] Videtur omnino intelligi debere nemorale Sacrarium Dianæ, quod *medio in diſcrimine luci* colebatur. eò ſimulacrum Dianæ Nemorenſis ſolenniter devehebatur, in thenſa ſuâ loca-

Curâ

Crura illî, badioſque legunt *in pectore crines;*
Et quorum feſſas imitantur terga favillas.
O *quantum* Italiæ, ſic Dii voluere, parentes
Præſtant, & terras omni præcepimus uſu!
Noſtraque quàm pernix illuſtrat prata *juventus.* 540

ANNOTATIONES.

tum. Interpres Juvenalis *ſacraria hortos templorum* dixit. Vett. Grammaticis. *Thenſæ ſunt ſacra* Vehicula. *Vlit.*

536. *Crura.*] Malo, *optima nigris crura pilis, vel nigri pili.* Vlit.

Hæc & cætera, quæ ſequuntur, diverſo Charactere impreſſa Vlitiana ſunt. Codice enim Longobardico nonnulla penitùs eroſa legi non potuerunt.

Varii

Variæ Lectiones.

Titulus. GRATII CYNEGETICON. *Pariſiana Ed. Lugdunenſ.* M. D. XCVI. *Waſæana Londini impreſſa. apud Steinerum autem ſic.* Gratii de Venatione, *ſeu* Κυνηγετικῶν *Liber.*

FAliſci.] Deeſt in A. & P. *Phaliſci.* G. & B. Edit.

5. MS. *profectu.*

7. *Rectuſque.*] MS. & A. & Steyn. *erectuſque.* B. *certuſque.*

8. *Contig.*] *Continuas,* G.

9. *Prof.*] O. Codices. *proſerere. Cecid.*] B. *ceſſit.*

10. *Circa.*] G. Vlit. Waſæ. *circum.*

11. *Firma.*] *Fundamenta.* G.

14. *Primam.*] *Primum.* Steyn. Edit.

16. *Aſcivere.*] Heinſius conjicit. *Aſcitæque. Nomine.*] G. & B. *numine,* malè.

19. *Idæa.*] *Idea.* Vlit. Waſ.

20. *Sylvanus.*] *Sylvani ſtermite eudens.* MS.

22. *Et non.*] *Luſus.* Steyn. MS. *leſus.* al. *luſus. Sed non ſine carminis uſus.* G. *uſu.* B.

23. *Carmine.*] *Carmine & arma dabo, & venandi perſequar artis.* Steyn. *artem.* Par. Lugd. Vlit. Waſæ.

24. *Aſtis armorum*; *caſſes plagiique exordiar ertis.* MS. *Armorum caſſes, plagiique exordiar aſtus.*

Titulus in MS. A. & P. Steyn. etiam, *de Retibus conficiendis.*

25. *Jungere.*] Turneb. citat, *fingere limbo.* Adv. 29. c. 26.

26. *Quadruplici.*] MS. *Quadruplicis*, pro *quadruplices.*

28. *Qui.*] *Quo.* Steyn.

29. *Laqueas bis ut omni.* MS.

31. *Et.*] *At.* G. *ad.* B. *Vicenos.*] *Viceno.* MS.

34. *Cinyphiæ.*] *Cyniphiæ.* omnes. Ed. malè. MS. *Cinymphiæ.* & hoc quoque malè.

35. *Æoliâ.*] A. Stey. Pariſ. Lugd. *Æoliâ.* benè. MS. Vlit. *Æoliæ.* malè.

36. *Tuſco.*] *Thuſcorum.* Steyn.

40. *Setabis.*] Vett. *Sætabes. Setabes*, & *Sutabes.*

42. *Sue.*] *Sacro.* G. *Bubaſ.*] *Bubbaſtia.* MS. *Bupalia.* G.

43. *Vel.*] *Veſtitur* G. & B. *Æſti.*] *Ægypti.* G. uti Junius conjecit.

44. *Ipſe in.*] *In*, omittitur. Pariſ. Lugd. *ipſus.* G. *Damnos.*] *Damnatus.* B.

45. *Exterruit.*] *Exteritur hoſtis.* A. Steyn. Turnebus *exterritat.*

46. *Rigui.*] B. *Rigidi. Alab.*] *Alabandus.* MS.

49. *Æmon.*] Steyn. *Hæmon. Retibus.*] A. Steyn. *Sentibus.* forſan non malè.

50. *Humor.*] G. & B. *udor.*

51. *Armis.*] Vet. Libri ſic interpunxerunt. *Armis. Nulla fides ergo*, malè. adeoque rectè mutavit Vlitius.

52. *Valle.*] *Preſſo — vallo.* G & B.

53. *Inter.*] Steyn. *iter. Clauſæque malum.*] A. Steyn. P. Lugd. Vlit. *cauſæque malum.* unde conjecit Gronov. *clauſæque malum.* quod in contextum recepi.

55. *Flotus.*]

55. *Flatus.*] Ità MS. & P. & Turn. & Vlit. *fluctus.* A. & Steyn.

57. *Idcir.*] *Iccirco.* Steyn.

58. *Annus.*] MS. *annos.* fortè, *annum.* Vlitius.

60. *Longius usû.*] *Langor usu.* MS. *longior usus.* B. *longior orsu.* A. & Steyn. Pariſ. Lugd.

63. *Ire freta.*] Deeſt illa vox, *Ire,* in Ald. & Steyn. *Iret.* Pithœ. *Et mat.*] *Et* deeſt in Ald. Steyn. Par. Lugd.

68. *Ut.*] Sic MS. & G. alii omnes, *&.*

69. *Cultorque feri Tirynthius orbis.*] *Cultoſque ferit —— orbeis.* A. Steyn.

72. *Famæ.*] *Famâ,* B. Ed. *Primus.*] *Primum.* G. *Patra.*] MS. *impetravit.* quod requirit τὸ *primum.*

Titulus in MS. A. Steyn. & P. *de Pinnatis conficiendis.*

75. *Immundo.*] *Immundis,* & *vulnere.* Steyn.

76. *Fuit, &.*] *Eſt* G. *Speci.*] *Specie.* G. *Ab.*] *Ad* MS.

83. *Reprehen.*] Sic. A. & Steyn. cæteri, *reprenſa.*

85. *Hic.*] MS. *Hinc. Metus.*] A. Steyn. *dolus.*

87. *Lineaque extructis.*] Pythœ. Steyn. *Linteaque extritis.* MS. *linteaque expoſitis.* B. & G. *lineaque extritis.*

89. *Fuit &.*] Gudius legit ad Phædrum, *ut,* & capit pro *poſtquam.* laqueoſque curraces non abiiſſe in deſuetudinem contendit. *Aliquis.*] MS. *aliis.* Titulus hic. *Pedice.* Steyn. *Pedicæ.* cæteri codices.

90. *Magis.*] Ery. Puteanus. *manus.*

91. *Teget.*] A. & Steyn. *reget.*

93. *Cum.*] MS. *quam.*

94. *Laboris.*] In Steyn. Ed. interrogationis notæ ſequitur, *laboris.* ut & in cæteris. hanc ſuſtuli. V. Notas.

96. *Prodidit.*] *Condidit.* G. & B. *Divos.*] Turneb. *Divo.* Heinſius. *Divis.*

97. *In cæcas aci.*] MS. *in cæcâ faciem.*
100. *Stat.*] Gronovius. *Dat.* elegantèr. *Mænalus. Auctor.*] Steyn. *Menalus Autor.* Turneb. *altor.*
105. *Annis.*] U. C. Pythœi. *arvis.* G. *armis.*

Titulus in MS. Al. &c. *Genera jaculorum.*

108. *Etiam.*] *Aciem.* G.
111. *Et gem.*] *In gem.* G. *Furcas.*] *Furcâ.* MS.
112. *Totos.*] *Notis.* MS. & Pythœ. *votis.* G.
117. *Macetûm.*] Ità MS. & Pythœ. *Macedûm.* A. & Steyn.
120. *Lucania.*] Sic MS. & Pythœ. *Livania.* A. Steyn. & B. malè *Albania.* ut de ſuâ conjecturâ ipſe laudabili exemplo fatetur Vlitius.
125. *Relinq.*] *Spernite.* G. & B.
126. *Quondam.*] *Quondandam tacere ſagitte.* MS. tollitur parentheſis. ut ſenſus conſtet.

Tit. in MS. &c. *Ligna apta jaculis.*

128. *Nutr.*] MS. *innut.*
131. *Incomp.*] *Incomptos operâ lutores ageſtis.* MS. *in comptus.* A. *incomptus.* Steyn.
133. *Pulcher.*] MS. *pulcherimoſuma.*
135. *Juſſe.*] *Luſere.* G.
136. *Ficta.*] MS. & Pyth. *facta. victa.* B.
141. *Gravat.*] MS. *gravet. Indulgentias ſylvas,* poſt Steyn.
144. *Notas.*] *Comas.* Putean. *Verſus.*] A. Steyn. *verſu.*
145. *Sufficit.*] *Subjicit.* G.
146. *Uic.*] Sic omnes. malè Waſæana. *Viſceribus. Fluet.*] B. *fluit.*
148. *Pomiſe.*] Steyn. *promiſeris.* unde ego, *pronus ſeris. Advertitur.*] *Adverterit.* G. *Anuus.*] *Annes.* MS.
149. *Frond.*] MS. *Frontibus.*

Tit.

Tit. in MS. & Ed. *de Canibus.*

151. *Luſtramus.*] Steyn. *Luſtramur. Per arteis.*] MS. *partis.* Vlitius, *peritis* conjicit.
155. *Cuique.*] MS. *Quoſque*, pro *Quoique.*
159. *Genus.*] Poſt hanc vocem reliqua deſunt MS.
171. *Quos.*] *Quo*, G. *qui.* B.
178. *Catulis.*] *Catuli—— Britanni.* G.
182. *Comp.*] *Cum parat.* A. Steyn.
184. *Sicut.*] *Sic ut.* P. *Sic &.* A. Steyn.
192. *Tum non.*] Pythœ. notat legi alias. *Tum non & victi, cum*, &c. non malè.
194. *Dabit.*] Mallem, *dabat.* Vlit.
203. *Vertra.*] *Ventraham.* G. *Ventranam.* B.
211. *At veſt.*] Om. Lib. *ad veſtram.* B. conjicit *veſtrum.*
215. *Aſty.*] *Haſtilides.* olim *Aſtylidæ.* Geſn. & Put.
225. *Majore.*] A. & Steyn. *majora.* malè.
231. *Officiis, ne.*] Ità Geſner. A. & Steyn. *Officii* Neu. Pi. *Officiis, neu.*
233. *Effun.*] Olim, *offenderet.* Gronov. *offunderet.* utrumque malè.
235. *Cum ſe.*] *Conſeq.* MS. P.
239. *Adpren.*] P. *adpreſſat.* B. *adprendit. Naribus.*] *Varibus*, G. *varicus*, B. fecit. B. *aures.*
255. *Norit.*] Ità Gronov. olim, *naris*, Steyn. A. *Norit.*] Ità Geſn. & P. *mòrit.* A. & Steyn. *Voces.*] *Fauces.* G.
258. *Fateri.*] *Videri*, citat Geſn.
259. *Specie.*] *Species.* Steyn. non malè.
260. *Tanta.*] *Tanti.* Gronov. non temerè.
261. *Refellat.*] Ità Steyn. benè. cæteri, *revellat.* Hic potiùs Titulus figendus eſt, qui in Edd. antè v. 259. inſeritur. *Canum fœtus.*
265. *Genuere.*] Ità Geſn. & Pyt. *tenuere.* A. Steyn. *Immane.*] *Manente.* G. *mutante.* B.
268. *Aut quæ.*] *Aut quà.* B.

271. *Ventres.*] Olim, *ventrîs.* quod idem est.
282. *Neque emer.*] *Nec immerito.* G.
285. *Renuit.*] A. Steyn. *tenuit.*
286. *Solitosque---labores.*] *Solitoque---labore.* G. B.
290. *Ipsi.*] P. *ipsæ.* A. Steyn. *ipse.*
291. *Tuos.*] *Suos.* G. B.
294. *Ubera.*] *Libera tota tenet * ea * tergo.* A. St. P. *eat ergo.* P. Conje. *stat tergo.* Gronov.
297. *Ira ja.*] Olim, *ire placet.* nullo sensu. *Ope*] *Aper.* G.
299. *Leves.*] Olim, *levis.* O. lib.
303. *Ut erit delata.*] Sic. Paris. Lugd. Vlitian. *delacta.* A Steyn.
204. *Fœtu.*] A. Steyn. benè. dativus sequitur, *adsunt.* alii, *fœtæ.*
305. *Fregitque--- matres.*] *Frigetque---matrum.* G. B.
310. *Non est.*] *Non & magis altera sensus tollit, nec,* &c. Vlitius.
315. *Achæmen.*] Vlitius malè *Achæmonio.*
316. *Atqui.*] *Atque.* G. *at quàm.*
318. *Fictas.*] *Victas.* G. B.
324. *Actaque.*] *Ortaque.* G.
333. *Impig.*] *Integer.* B. Ed.
337. *Facilisq;.*] *Factusq;.* St. G. *fartusq;* B. *factisq;.*
340. *Canâ.*] Steyn. *cavâ.*
342. *Dextrâ.*] Steyn. *dextro.*
343. *Non.*] *Nova.* A. Steyn.

Tit. in Ed. *Canum remedia.*

352. *Ora.*] *Oræ.* G. B.
353. *Atroque.*] A. Steyn. *utroque.* Vlit. legit *atroque.* Paris. Lugd. *uteroque.* ex conj. Pyth.
358. *Ang.*] *Aug.* A. Steyn.
365. *Validæ.*] Ità Paris. Lugd. *validum,* A. Steyn.
366. *Cura est.*] *Curas altior.* A. Steyn. Vlitius, *curis,* legit. & *illî.*
370. *Juxtaque exercitus.*] *Jussaque.* A. Steyn. Ἀρχαικῶς. *exterritus.* A. Steyn.

374. *Fu-*

374. *Furiis.*] *Furtis.* A. Steyn. optimè, ſi apicem mutaveris. *furtim.* alii.
379. *Dicta.*] *Ficta.* A. Steyn Par. Lugd. *victa.* B.
380. *Redit uſus.*] A. Steyn. *rediturus.*
384. *Præcipitat.*] A. Steyn. *præciptiat. Sic tutius.*] A. Steyn. *ac tutius.*
388. *Percep.*] Ità Gronov. O. Ed. *præcep.*
389. *Æſtivos.*] *Æſtivoſque.* B. *Vibrans.*] A. Steyn. *vibrant. Accenſis.*] *Accenſt.* A. Steyn.
390. *Amatam.*] Sic. Vlit. *amaram.* A. St. P. Lugd.
405. *Adjutas.*] A. St. *adjutant.* & ſic G. citat.
406. *Oculique.*] A. Steyn. *oculiſque.*
416. *Pices.*] *Piſces.* P. errore typ.
418. *Lavant.*] Geſn. *linunt. Eſt ira.*] *Atq; ira----- morbi eſt.* G. B.
419. *Ne cura.*] A. Steyn. &c. *natura.* rectè conjecit Gronov. *ne cura.*
422. *A vento.*] *Aventu.* B. *Clariq;.*] Pyth. *clariſq;.*
441. *Vocant ter.*] Bart. conjec. O. Ed. *vocantes.* & hoc non mutandum.
443. *Dictu.*] A. Steyn. *ductu.*
450. *Animis.*] A. P. L. Steyn. *animi.*
452. *Mel.*] *Meliorisve.* B.
460. *Nec.*] A. Steyn. *Hæc.* P. *His, mora.*
462. *Lave.*] *Fove.* G. *fave.* B.
474. *Fraces.*] *Fæces.* G. B. *faces,* citat B.
478. *Incurv.*] *Incuratæ.* Steyn.
479. *Potent.*] *Nocentia.* G.
418. *Anime.*] *Animæ,* om. Ed.ª
484. *Sacrum ad Nemora alta.*] *Ad nemorale.* Turnebus citat, quod probat Heinſius.
494. *Poſcis.*] A. Steyn. *poſcit.*
Tit. *de Equit.*
503. *Fundet.*] *Tollet,* citat Turneb.
504. *Luſtravit.*] *Luſtrabit.* Turneb.
507. *Mira.*] *Miretur.* Cluver. &, in ſaxa.
527. *Fuit.*] A. Steyn. *ſui.* B. *ſatis, cibus.*
533. *Nebro.*] Steyn. *Hebroden.*

M. Aurelii Olympii

NEMESIANI

Poetæ Carthaginienſis

CYNEGETICON.

M. AURELII OLYMPII

NEMESIANI

Poetæ Carthaginienſis

CYNEGETICON.

VENANDI cano mille vias: hilareſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri prœlia ruris,

ANNOTATIONES.

1. *Cano.*] In ipſo exordio Cynegetici lego:

Venandi cane mille vias, hilaroſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri prœlia ruris
Pandimus.——

alludit ad inſcriptionem operis ſui: non enim quamvis ἄγχας, ſed τὸ Κυνηγέσιον promiſit. Sic Propertius. Lib. 3. Eleg. 13.

Et me Pana tibi comitem de rupe vocato
Sive petes calamo præmia ſive cane.

Sive auceps, ſive κυνηγός. & ipſe Auctor infra: *facili cane ſumere prædas.* Scio mutationes numeri, ſed non eadem omnibus apta. *Gronov.*

Pandimus,

Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab œstro
Æstuat, ingentes Helicon jubet ire per agros:
Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, & late campos metatur apertos:
Imponitque jugum vati, retinetque corymbis
Implicitum, ducitque per avia, qua sola nunquam
Trita rotis. juvat aurato procedere curru,
Et parere Deo: virideis en ire per herbas
Imperat: intacto premimus vestigia musco.
Et quamvis cursus se ostendat tramite noto,

ANNOTATIONES.

3. *Aonio æstro.*] Poetico furore. Aonides enim, musæ ab Aoniâ.

4. *Helicon jubet.*] Ἀοιδοτονούσως. quid si,

— ingentes, Helicon, juvat ire per agros.

aut *Helici*, siquidem *Helicus* Latinâ terminatione potuit fingi. *Vlit.* Vulgata tamen lectio mihi placet: Totum enim exordium hoc est congeries indiscreta imaginum à se invicem toto cœlo disjunctarum.

5. *Castalius.*] Pithœus. *Castalii. Alumnus Castalii fontis* est Apollo. Vlit. Ed Steyn. legit, *Castalius — alumno.* quid si loco *fontis* legat *Phœbus.*

Castaliusque mihi nova pocula Phœbus alumno.

6. *Meta.*] *Metitur.* Vlit. quod tamen idem est.

8. *Quâ sola, &c.*] Ex Lucretianis. *loca nullius ante trita solo.* at quo jure Nemesianus id dicere potuit, non video, cum Gratius id anticipaverat.

12. *Se ostendat.*] Ità Steyneri Editio. rectè. malè à cæteris omittitur *se.* hic autem versus huic

Obvia

Obvia Calliope, facies inſiſtere prato
Complacitò, rudibus quà luceat orbita ſulcis.
Nam quis non Nioben numeroſo funere mœſtam
Jam ceciñit? quis non Semelen, ignemque jugalem
Letalemque ſimul novit de pellicis aſtu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Ut pater omnipotens maternos reddere menſes
Dignatus, juſti complerit tempora partus?

ANNOTATIONES.

loco inſeritur, unde exciderat. olim enim locabatur inter viceſimum tertium & quartum verſum. Sic explicat Vlitius. quamvis curſus ſe oſtendat tramite noto, Tu tamen, O facilis Calliope, facies me complacito inſiſtere prato, ut & in illo tuâ ope tandem orbita aliqua luceat per rudes hactenus & invios ſulcos.

16. *Jugalem.*] Ovid. Metam. Lib. 3. 308.

——corpus mortale tumultus
Non tulit ætherios, domiſque jugalibus arſit.

17. *Pellicis.*] Junonis. Vlitius *pellicem* pro novercâ accipit; non tamen ſatisfacit. aut igitur ſimpliciter ſignificat, *quæ pellexit.* Juno enim induxit Semelen orare Jovem, ut liceat ſibi cum eo concumbere, eâdem induto majeſtate, quâ ipſam ſe amplecti ſolebat. aut acerbitatem Junonis exoſus Poeta nomen *pellicis* Junoni magis tribuendum cenſuit.

18. *Recreata.*] Renovata. Ereptus enim erat ab alvo Semeles & inſutus femori Jovis. Ovid. ibid. 310, 311, 312.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioq; tener——
Inſuitur femori, maternaque tempora complet.

Sunt

Sunt qui ſacrilego rorantes ſanguine thyrſos
(Nota nimis) dixiſſe velint; qui vincula Dirces,
Piſæique tori legem, Danaique cruentum
Imperium, Sponſaſque truces ſub fœdere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia tædis.
Biblidos indictum nulli ſcelus: impia Myrrhæ
Connubia, & ſævo violatum crimine patrem

ANNOTATIONES.

21. *Sacrilego.*] Penthea intelligit. Ovid. l. 3. 712.

Prima ſuum miſſo violavit Penthea Thyrſo
Mater ——

ipſum Ovidium vid. L. 3. v. 716, 717. ità lege hos verſus,

——*cunctæ coeunt, trepidumque ſequuntur;*
Jam trepidum, jam verba nimis violenta locutum,

qui jam agnoſcit ſe nimis violenta locutum eſſe.

22. *Vincula.*] Vid. Apollodorum. L. 3. Cap. 5. S. 5. Τὴν Δίρκην δήσαντες ἐπέθεσιν εἰς κρήνην, &c.

23. *Piſæique.*] Hippodamia filia fuit Oenomai, Regis Piſæ. quam cum ob formam multi peterent, pater hanc conditionem propoſuit, ut, qui illam vellent, curſu cum eâ contenderent: victi, capite punirentur, victores uxorem eam haberent.

24. *Sponſaſque.*] Danaidas, numero quinquaginta, qui maritos, totidem numero, ad unum omnes primâ nocte necuerunt. Apollod. L. 2. C. 1. S. 4.

26. *Biblidos.*] Caunum fratrem ad concubitum ſolicitantis. Vid. Ovid. Metam. L. 9. v. 453.

27. *Sævo.*] Vlitius *fædo* vel *Scævo.* quam emendationem confirmat. Ovid. L. 10. v. 319.

——*fædoque repugnat amori.*

Patrem enim Cynaram in tenebris adiit, & cum illo concubuit. Ovid. L. 10. v. 465.

Novi-

Novimus; utq; Arabum fugiens cum carperet arva;
Ivit in arboreas frondes, animamque virentem.
Sunt qui ſquamoſi referant fera Sibila Cadmi,
Stellatumque oculis cuſtodem virginis Jûs;
Herculeoſque velint ſemper numerare labores,
Miratumque rudes ſe tollere Terea pinnas
Poſt epulas, Philomela, tuas. ſunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaetonta loquantur,
Extinctaſque canant emiſſo fulmine flammas,
Fumantemq; Padum, Cycnum, plumamq; ſenilem,

ANNOTATIONES.

28. *Arabum.*] V. Ovid. Metam. L. 10. v. 478.
Palmiferos Arabas, Panchæaque rura relinquit.

29. *Arboreas.*] In arborem Myrrham converſa eſt.

30. *Cadmi.*] Cadmus enim cum uxore unà converſi erant in angues.

31. *Cuſtodem.*] Argum.

33. *Terea.*] Rex ille Thracius, qui poſtquam Ityos filii ſui membra à Procne & Philomelâ appoſita ſibi inſcius comederat, in Epopem converſus erat. Ovid. Metam. L. 6. v. 674.

36. *Emiſſo.*] Ed. Steyn. *è miſſo.*

37. *Fumantemque.*] Ibi enim incidit Phaethon. Ovid. Lib. 2.

——excipit Eridanus Naides Heſperiæ trifidâ fumantia flammâ
Corpora dant tumulo——

Cycnum.] Stheneli filium, in olorem converſum, dum dolet Phaethontem amiſſum. Ovid. L. 2. 367.

Plumamq; ſenilem.] *Cycnum plumamque ſenilem.* ἐν δὲ δοῖν. Cycni plumas, albas inſtar capillorum ſenis.

Et

Et flentes ſemper germani funere Sylvas.
Tantalidum caſus, & ſparſas ſanguine menſas,
Condentemque caput viſis Titana Mycenis,
Horrendaſque vices generis dixere prioris.
Colchidos iratæ ſacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchræq; incendia Glauces:
Non crinem Niſi, non ſævæ pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem buſta Sororem.
Hæc jam magnorum præcepit copia vatum,
Omnis & antiqui vulgata eſt fabula Sæcli.

ANNOTATIONES.

38. *Sylvas.*] Heliadas, Phaethontis ſorores in arbores mutatas. Ovid. ibid.

39. *Menſas.*] Thyeſteas.

41. *Vices.*] Metamorphoſes. Vlit. qui conjicit *Neces.*

42. *Colchidos.*] Medeæ quæ Jaſonem ulciſcendi ſtudio, Glaucen ſive Creuſam, Creontis filiam (quam in matrimonium duxerat) peplo venenis infecto donavit; quod induta, cum adjutore patre, igne correpta conflagravit. Apollod. Lib. 1. Sect. 28.

44. *Crinem.*] Ed. Steyn. *crimen.* malè.

Niſi.] Regis Megaræ. quem prodidit Minoi ſua filia Scylla, fatalemq; crinem abſcidit. Vid. Ovid. Lib. 8. & Apollod.

45. *Buſta.*] Sepulchra noctu pio animo fratri clam parantem.

Sororem.] Antigonen Polynicis ſororem. quæ fratris corpus, contra Creontis mandata humarat, ſed deprehenſa viva conjecta erat in ſepulchrum. Apoll. L. 6. S. 7.

46. *Præcepit.*] Olim tractavit. præoccupavit.

Nos

Nos ſaltus, virideſque plagas, campoſque patentes
Scrutamur, totiſque citi diſcurrimus arvis:
Et varias cupimus facili cane ſumere prædas.
Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audaceſque lupos, vulpem captare doloſam
Gaudemus. nos flumineas errare per umbras
Malumus, & placidis Ichneumona quærere ripis
Inter arundineas Segetes, ſelemque minacem
Arboris in trunco longis præfigere telis:
Implicitumque ſinu ſpinoſi corporis Erem
Ferre domum: talique placet dare lintea curæ;
Dum non magna ratis vicinis ſueta moveri

ANNOTATIONES.

48. *Plagas.*] Tractus. regiones.

50. *Facili.*] Morigero.

54. *Ichneumona.*] Idem, qui mus Pharaonis. Plinius inter feles recenſet. Crocodilo animal infenſiſſimum; quod ore admiſſum crocodilum necat. Vid. Salmaſ. Plin. Exerc.

55. *Segetes.*] Κλαχηνιῶς. quià creſcunt more ſegitis.

56. *Præfigere.*] Quid ſibi vult illud *præ* neſcio. malo *perfigere*. difficultèr enim, nec niſi graviter vulnerati pereunt.

57. *Implicitumque.*] Suo ipſius ſinu involutum.

Erem.] Erinaceum. Hedge-hog.

59. *Dum.*] *Cum* malo. quandoquidem nunc primum mea tenuis muſa, olim rebus levioribus exercita, majorem audet aggredi materiam.

Non magna.] Parva.

Vicinis.] Adeoque no-

Litoribus, tutoſque ſinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela notis, portuſque fideles
Linquit, & Hadriacas audet tentare procellas:
Mox veſtros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, divi fortiſſima pignora Cari,
Atq; Canam noſtrum geminis ſub finibus orbis
Litus, & edomitas fraterno numine gentes,
Quæ Rhenum Tigrimque bibunt, Arariſqüe remotum
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.
Nec taceam primum, quæ nuper bella ſub arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipſo

ANNOTATIONES.

tis, & minùs periculoſis.

61. *Notis.*] Ventis turbidioribus. argumento grandiori.

62. *Hadriacas.*] Acerrimas, quales Hadriatico oriuntur mari. Non poſſum non culpare Nemeſianum, qui tam enormia de re tenui.

64. *Divi.*] Defuncti & inter Deos relati.

Pignora.] Carinus & Numerianus.

65. *Noſtrum.*] Jam noſtrum. bello partum & nobis ſubditum.

66. *Fraterno.*] Carino & Nemeſiano, fratribus. Cui Hiſtoriam & geſta Carini & Nemeſiani perlegere lubet, adeat Vopiſcum, Eutropium, Victorem.

68. *Bibunt.*] Ubi, Nemeſiane, eſt illa tua vis poetica? ubi ille Deus, qui in exordio tanta tili indulſit? nimirum abiere

Pœne

Pœne prior genitore Deo: utque intima frater
Perfidos, & veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina Regni.
Imbellemque fugam referam, clauſaſque pharetras
Parthorum, laxoſque arcus, & ſpicula nulla.

ANNOTATIONES.

niſi malus te læſit librarius. at certè læſit, neque enim tam frigidas amas repetitiones. repone itaque vel, *colunt*, vel *vident*. aut quodcunque tibi, Lector, melius occurrerit.

71. *Genitore.*] Caro.

Intima.] Hæc præconia, quæ Carino attribuit Nemeſianus, falsò afficta cenſet Vlitius, & patris geſta filio aſſignari ab adulante Poetâ.

72. *Veteres.*] Arcem enim antiquiſſimus rex condidit Belus. Vid. Eutropium.

73. *Violata cacumina.*] Cari mortem intelligit, qui fulminis tactu conflagravit. Vid. Victorem. Vlit.

75. *Nulla.*] Barthius *muta* è MS. quod impensè arridet. quid, quæſo, eſt hoc? *referam ſpicula nulla.* cur non & arcus nullos, *i. e.* perditos, ut Vlitius explicat? Barthii ſeu lectionem, ſeu conjecturam libens amplector, quam doctè illuſtravit Gronovius, ad Statii ſylvas. Sic enim ille: *muta ſpicula* ſunt quieſcentia, quæ non per aerem ſonanti arcu impulſa ſtridorem edunt. Lucan. *Schythicæ ſtrideret arundinis aer.* Suavitèr Eurip. τοξήρεις Ψαλμὺς, dixit in Hercule. For. Homerus:

Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρεοῖο βιοῖο.

Stridentis Sibila teli. Silius. Dion. Perieg. de Parthis.

Ἀιεὶ δ' ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων
Ἡ βελέων. —

Hæc vobis noſtræ libabunt carmina Muſæ;
Cum primum vultus Sacros, bona numina terræ,
Contigerit vidiſſe mihi. jam gaudia nota
Temporis impatiens ſenſus, ſpretorque morarum,
Præſumit: videorque mihi jam cernere fratrum
Auguſtos habitus, Romam, clarumque Senatum,
Et fidos ad bella duces, & milite multo
Agmina, queis fortes animat devotio mentes.
Aurea purpureo longè radiantia velo
Signa micant, ſinuatque truces levis aura dracones.

ANNOTATIONES.

76. *Hæc libabunt.*] Hæc prima offerent carmina.

Vobis.] Ita Pithœus. Omnes Editi. *nobis.* quod nihili eſt.

78. *Contigerit.*] Videtur itaque alicubi Aurelius, Româ tamen remotus, ſcripſiſſe Cynegetica ſua, atque iis abſolutis ad reditum Numeriani, ut reduci offerret, & triumpho gratulabundus intereſſet, Romam reverti voluiſſe. *Vlit.*

Nota.] Familiaris enim erat, ſi non & cognatus, ut prænomina eadem videntur innuere. *Vlit.*

80. *Præſumit.*] Antè tempus ſumit.

81. *Auguſtos.*] Vel triumphales, vel quibus induti inaugurandi erant.

Clarumq;.] Neſcio quis conjecit, *patrumque.*

83. *Agmina.*] Jam ſaltem exercitum victorem reductabat Numerianus, cum hæc caneret Aurelius. *Vlit.*

85. *Signa.*] **Colours.** Anglicè. pictos autem Dracones gerebant.

Micant.] *i. e.* videntur micare.

Tu

Tu modo quæ ſaltus placidos ſilvaſque per-erras
Latonæ, Phœbe, magnum decus, eia age ſuetos
Sume habitus, arcumque manu; pictamque pharetram,
Suſpende ex humeris; ſint aurea tela Sagittæ:
Candida puniceis aptentur crura cothurnis: 90
Sit chlamys aurato multum ſubtegmine luſa,
Corrugeſque ſinus gemmatis baltheus arctet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.

ANNOTATIONES.

90. *Cothurnis.*] Virgil. *Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram*
Purpureoque altè ſuras vincire cothurno.
Adnotante Servio. Cothurni ſunt calceamenta Venatoria, crura quoque vincientia. *Vlit.*

91. *Chlamys.*] Ità & Dido Æneid. 4. *Sidoniam chlamydem circumdata* venatum exiit. eſt autem *chlamys* veſtimentum apertum, oblongum & in anguſtum deſinens, cujus ſuperiores anguli fibulâ infrenantur, colloque circummittuntur. *Vlit.*

Luſa.] Illuſa. Virgil. *Illuſas auro veſtes.* — veſtes aurato ſubtegmine, *i. e.* filis deauratis illuſas.

92. *Corrugeſq;.*] Et *baltheus* ſeu cingulum conſtringat *ſinus corrugatos* fibulâ gemmatâ. *Baltheus.* ζωστὴρ. ζώνη. aliæ Gloſſæ. ζωστῆρ. *baltheum. cingulum.*

92, 93. *Nexibus gemmatis.*] Sic Claudian. de raptu. lib. 2.
Collectæ tereti nodantur iaſpide veſtes. Vlit.
Ovid. Metam. lib. 14. v. 345.
Phœniceam fulvo Chlamydem contractus in auro.

93. *Implicitos.*] Βραιδεῦ.

Tecum Naiades faciles, viridique juventa
Pubentes Dryades, Nymphæque, unde amnibus humor,
Adſint, & docilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, diva, tuum frondoſa per avia vatem.
Te ſequimur, tu pande domos, & luſtra ferarum.
Huc igitur mecum, quiſquis percuſſus amore
Venandi damnas lites, avidoſque tumultus;
Civileiſque fugis ſtrepitus, bellique fragores,
Nec prædas avidus ſectaris gurgite Ponti:

ANNOTATIONES.

96. *Decantet.*] Illis cantantibus recinat.

99. *Huc.*] Omnes Codi. *Hinc.*

100. *Avidoſque.*] Rectè conjecit Vlitius *rabidos*, vel, *pavidos*. *Avidus* enim iterùm occurrit verſu ferè proximo.

102. *Avidus*] Ità Pythœ. Steyn. Aldin. nec mutandum erat. Quod autem Vlitius his verbis *piſcationem* ſignificari contra Barthium contendit, à loco alieniſſimum mihi videtur. adverte modò ſeriem rerum. *Huc*, inquit Nemeſianus, *mecum veni, quicunque lites, tumultus, civiles ſtrepitus, bellique fragores* averſaris, *nec ſectaris* piſcationem. quicquamne frigidius aut dici aut fingi poteſt, poſt illa ſonora, & luctifica? Non credo. Tibulli locus huic quoque lucem afferet.

Præda feras acies cinxit diſcordibus armis
Hinc furor, hinc cædes---
Præda vago juſſit gemmare pericula ponto.

Per *prædam* intelligas, rapinam; ſed & latiori ſenſu etiam *merces externas* includat. *avidum* autem vocat *pontum*, quià navi-

Principio

Principio tibi cura canum non ſegnis ab anno
Incipiat primo, cum Janus temporis auctor
Pandit inocciduum biſſenis menſibus ævum.
Elige tunc curſu facilem, facilemque recurſu,
Seu Lacedæmonio natam, ſeu rure Moloſſo,
Non humili de gente canem. Sit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat ſub pectore lato,
Coſtarum ſub fine decenter prona carinam,
Quæ ſenſim rurſus ſiccâ ſe colligat alvo,

ANNOTATIONES.

gantes, ipſas ſimul & prædas ſæpè inhiantibus demergit undis.

104. *Janus.*] Ed. Steyn. *Sanus.* Pythœ. *Janus.* rectè.

Auctor.] Ovid. 1. Faſt. v. 65.

Jane biceps, anni tacitè labentis origo.

105. *Inocciduum.*] Editi antè Pythœum diviſim exhibent, *in occiduum.* malè. *ævum* enim *inocciduum* eſt perpetuo revolutum orbe. *pandit* autem *Janus*, quià Januarius primus eſt anni menſis.

106. *Facilem.*] Qui pro Venatoris lubitu curſum revocat, tenditve.

109. *Pectore.*] Sic Gratius. v. 274, 275.

——— *validis tum ſurgat pectus ab armis, &c.*

110. *Coſtarum.*] Ubi utrinque terminantur & deſinunt coſtæ.

Decenter prona.] Gracefully ſloping.

111. *Siccâ.*] Non pendulâ, & ſolutâ; Gratius mirâ brevitate rem tamen totam circumſcripſit.

——— *Aſtricti ſuccingant ilia ventres.*

Renibus ampla ſatis validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in curſibus aures.
Huic parilem ſubmitte marem, ſic omnia magnum:
Dum ſuperant vires, dum læto flore juventus,
Corporis & venis primævi ſanguis abundat.
Namque graves morbi ſubeunt, ſegniſque ſenectus:
Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.
Sed diverſa magis fœturæ convenit ætas.

ANNOTATIONES.

112. *Renibus.*] Lumbis. Turnebus.

Diductaque.] Spread. lata, non contracta.

113. *Nimis.*] Pro *valdè.* nihil tritius apud optimos Auctores.

114. *Submitte.*] Admitte, junge.

115. *Juventus.*] Heinſius. *juventas.* juventutis nimirum Dea, pro juventute poſita. quam vocem Gronovius quoque multoties reſtituit.

117. *Subeunt.*] Clam obrepunt canibus.

118. *Dabunt.*] Quinam, quæſo, dabunt? an morbi? eo quidem ſenſu *dabunt* idem erit quod *reddent, efficient.* languet autem illud *invalidam non firmo robore. invalidus* enim ille eſt, cui non *firmum* eſt *robur.* an canes? ità quidem puto. *Dabunt* vero eſt *creabunt.* Ità Catullus. in nuptias Juliæ & Manlii. *ludite, ut lubet, & brevi Liberos date.* Virg. Æneid. 1. 274. expreſſius. *partu dabit Ilia prolem. Invalidam* autem mendæ ſuſpectum habeo pro *invalidi.* Tum verò (ingruente nimirùm ſenectute) ipſi canes invalidi prolem quoque creabunt non firmo robore.

119. *Diverſa.*] Inter ſe. maris nempe & fœ-

Tu

Tu bis vicenis plenum jam menſibus acrem
In Venerem permitte marem: ſit fœmina, binos
Quæ tulerit ſoles, hæc optima cura jugandis.
Sed non Spartanos tantum, tantumve Moloſſos
Paſcendum catulos: diviſa Britannia mittit
Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannonicæ ſtirpis temmatur origo,
Nec quorum proles de ſanguine manat Ibero.
Quin etiam ſiccæ Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non ſpreveris uſum.
Mox cum ſe bina formarit lampade Phœbe,
Ex quo paſſa marem genitalia viſcera turgent,
Fœcundos aperit partus matura gravedo

ANNOTATIONES.

minæ. de ſtato autem tempore variè varii.

120. *Bis vicenis.*] Sub finem anni tertii.

124. *Paſcendum catulos.*] Obſerva accuſativum poſt *paſcendum*. Virgil. alicubi. *pacemque à rege petendum.*

125. *Noſtrique.*] Italiæ. ibi enim, relictâ Africâ, commoratus eſt Nemeſianus.

128. *Lybies.*] Ξηρολι-βύης. de Libycis canibus nemo præter Aurelium. *Vlit.*

130. *Binâ.*] Trimeſtris canibus ad ſummum datur partus, bimeſtris ad minimum. *Vlit.*

132. *Fœcundos.*] Barthius ex codice ſuo Germanico ſic legit,

Fœcundo ſe aperit partu matura gravedo.

Quod probat Vlitius. at Continuò,

Continuò, largâque vides ſtrepere omnia prole:
Sed quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi ſi placitum populoſos paſcere fœtus,
Jam macie tenues, ſuccique videbis inanes,
Pugnanteſque diu, quiſnam prior ubera lambat,
Diſtrahere invalidam laſſato viſcere matrem.
Sin verò hæc cura eſt, melior ne fortè necetur,
Abdaturve domo, catuloſque probare voluntas,

ANNOTATIONES.

nullus ſuffragatur codex, nulla ſuadet neceſſitas. Hæc enim loci mens. protinùs illa parturientium gravedo, jam matura fœcundum aperit uterum, vel aperiendo effundit numeroſam prolem.

134. *Sed.*] Veterem lectionem reſtitui. Solus Vlitius Edidit *ut*.

Quamvis] Avidiſſimus licet ſis, primi tamen partûs canes, ſi ſapias, contemnere magis è re tua fore judicabis.

135. *Mox.*] Quin & futuris partubus tutius, præſtabilius eſt *non omnes nutrire minores*. hinc enim & catuli fient macilenti, & mater invalida.

141. *Abdaturve.*] Amoveatur, excludatur. Sic Tibull. Lib. 2. Eleg. 1.

Et procul ardentes hinc, precor, abde faces.

Hinc amove, amotas habe: & Virg. L. 3. Georg. de equo generoſo.

Hunc quoq; ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce Senectæ.

Sententia Virg. hæc eſt. hunc quoque optimum equum, ſignifque & re probatum, poſtquam ſenio aut morbo incurabili utilis tibi eſſe deſiit, exclude

Queis

Queis nondum greſſus ſtabiles, neque lumina paſſa
Luciferum videre jubar ; quæ prodidit uſus
Percipe & intrepidus ſpectatis annue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibuſque leves gravibus prænoſcere curſu.
Quin & flammato ducatur linea longè
Circuitu, ſignetque habilem vapor igneus orbem.
Impune in medio poſſis conſiſtere circo.
Huc omnes catuli, huc indiſcreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honeſtos,

ANNOTATIONES.

domo, aliena, nec te miſereat impotentis ejus ſenectæ. Nemeſian. dixerat anteà. *primos contemnere partus*: & *non omnes nutrire minores*. Gronov. L. 4. C. 8. de pecuniâ veteri.

142. *Paſſa.*] Aperta.

144. *Intrepidus.*] Sine metu & morâ his dictis re comprobatis lubens annue.

146. *Corporibuſque.*] Et catulos *curſu leves* futuros ex gravitate corporum *poteris* prænoſcere, quamvis nondum experiendi detur copia. Vetuſtiſſ. Edit. *curſu*. Vlitius *curſus*. præponit, alteram autem lectionem pro corruptâ habet. rationem ſaltem adjunctam oportuit.

147. *Quin &.*] Porrò autem ducatur linea circularis, ſatis patens, flammis accenſa, vaporque igneus deſcribat orbem habilem, ità ut quivis *poſſit impunè conſiſtere in medio circo*. pro *in medio* ego lubens legerem *ut medio*.

150. *Catuli.*] Ultima ſyllaba in *catuli* nullam patitur Synalæpham. ità Virgil. & paſſim.

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

151. *Dabit.*] Hoc exJudicio

Judicio natos ſervans, trepidoque periclo.
Nam poſtquam concluſa videt ſua germina flam-
mis,
Continuò ſaltu tranſcendens fervida zonæ
Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili;
Mox alium, mox deinde alium. Sic conſcia mater
Segregat egregiam ſobolem virtutis amore.
Hos igitur genetrice ſimul, jam vere ſereno,
Molli paſce ſero; paſſim nam lactis abundans
Tempus adeſt, albent plenis & ovilia mulctris.
Interdumque cibo Cererem cum lacte miniſtra,
Fortibus ut ſuccis teneras complere medullas

ANNOTATIONES.

amine, hâc probatione mater indicabit tibi, & cognitam dabit egregiam prolem

152. *Judicio.*] Διακείσει, diſcrimine, unum præ alio eligendo.

Trepido.] Horrendo. paſſivè enim ſumitur. *Vlit.*

154. *Continuò.*] Protinùs tranſiliens circulum flammatum, quo quaſi vinclis undique catuli includuntur, ore corripit principem maximeq; eximium, & in cubile portat.

156. *Conſcia.*] Secreto pulſa inſtinctus

158. *Genetrice ſimul.*] Unà cum genetrice. Silius. Lib. 5. *avulſa eſt protinus hoſti ore ſimul cervix.* Gronov. ἅμα τῇ τεκούσῃ. Feſtus Avien. *nunc ſylvas inter oberrat conjugibus natiſque ſimul.* Vlit.

158. *Vere.*] Ut in admiſſuræ tempore hyemali, ità & in vere commendando nutrituræ Xenophontem ſequitur hic Aurelius. *Vlit.*

159. *Sero.*] Whey.

161. *Cibo.*] In cibum.

Poſſint,

Possint, & validas jam tunc promittere vires.
Sed postquam Phœbus candentem fervidus axem
Contigerit, tardasque vias, cancrique morantis
Sidus init, tunc consuetam minuisse saginam
Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus :
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam cum membrorum nexus nodosque relaxant,
Infirmosque pedes & crura natantia ponunt :
Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo

ANNOTATIONES.

mazam intelligit.

163. *Jam tunc.*] In ipsâ nimirum infantiâ.

166. *Saginam.*] Sagina hîc pro simplici cibo ; de canibus venaticis loquitur, qui non saginantur. Salmas. ad Solin. p. 798. memoriâ fretus nimirum erravit ; diserte enim Nemesian. jubet saginam (suprà, fortes succos, Cererem cum lacte) minui, catulos autem redire ad tenues cibatus, & molle serum.

168. *Ne.*] Edit. Steyn. hunc versum sic exhibet.

Ne gravis articulos depravet pondere molles.

Quod cur in contextum illicò non admittatur, nullus video. en sententiam. ne gravis (nempe cibatus, vel sagina ; utrumque enim præcesserat) suo pondere luxatos vel distortos reddat molles catulorum articulos. Xenophon. αἱ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι σκέλη.

169. *Relaxant.*] Laxatos habent nodos.

170. *Natantia.*] Incerta præ infirmitate, vacillantia. Pythœus malè edidit, *nutantia.* contra Aldin. & Steyn. Editiones,

Impatiens

Impatiens circumdederis, noceaſque futuris
Curſibus imprudens. Catulis nam ſæpe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, & teneros torquent conatibus artus;
Obtunduntve novos adroſo robore dentes,
Aut teneros duris impingunt poſtibus ungues.
Mox cum jam validis inſiſtere cruribus ætas
Paſſa, quater binos volvens ab origine menſes,
Illæſis catulos ſpectaveris undique membris,

ANNOTATIONES.

& ipſas leges metricas.

174. *Remotis.*] A villâ, aut ſervorum commercio, aut matre denique.

175. *Vexare.*] Dentibus unguibuſque lacerare.

177. *Robore.*] Ligno quovis duriori.

178. *Impingunt.*] Infigunt.

179. *Mox cum.*] Hos tres verſus ut facillimos præterit Vlitius, cum tamen vix, aut ne vix quidem intelligendos cenſeam. Quos tamen ità priſtino nitori, nî fallor, reſtituas, mutatâ tantùm litterâ. lege *ſpectaverit* loco τῆ *ſpectaveris.* poſt brevî cum jam tempus octo menſium à partu elapſorum validis inſiſtere cruribus paſſum ſpectaverit, viderit, catulos membris undique illæſis, tunc rurſus, &c. ne quis duriuſculum putet, verbum *ſpectaverit* conjungi cum *ætas*, adeat. Virg. Æn. 1. v. 265.

Tertia dum latio regnantem viderit æſtas.

jam, opinor, nihil ulteriùs legentem morabitur.

Tunc

Tunc rursus miscere sero Cerealia dona
Conveniet, fortemque dari de frugibus escam.
Libera tunc primum consuescant colla ligari,
Concordes & ferre gradus, clausique teneri.
Jam cum bis denos Phœbe reparaverit ortus,
Incipe non longo catulos producere cursu;
Sed parvæ vallis spatio, septove novali.
His leporem præmitte manu, non viribus æquis,
Nec cursus virtute parem; sed tarda trahentem
Membra; queant jam nunc faciles ut sumere prædas.

ANNOTATIONES.

182. *Miscere.*] Eadem sagina adhibenda est, quæ suprà. Vid. 161, 162.

185. *Concordes.*] Jubet hîc Aurelius non modo alligari catulos, sed & inter se jungi, ut jugitèr procedere consuescant; ut si qui tarditate nimiâ, aut contrà velocitate cæteros deserant, tardiores velocibus jungantur. Illa etiam Vertragis communia: cum domi sint, ne currendo aut saliendo lasciviant: cum in sylvas ducuntur, ne antè venatum discurrentes fatigent se, aut absentiâ suâ venatorem [illegible]strentur. Vlitius.

187. *Catulos.*] Vertragos. Grey-hounds. de his enim Nemesianus loquitur hoc loco. *Vlit.*

188. *Parvæ.*] Nimirum ne lepus nimiùm prævertatur canem, & visu ejus se auferat. *Vlit.*

191. *Queant.*] Ut catuli, quantumvis teneri, vel sic valeant *sumere prædas facilès.*

Nec

Nec ſemel indulge catulis moderamine curſus;
Sed donec validos etiam prævertere ſueſcant,
Exerceto diu, venandi munere cogens
Diſcere, & emeritæ laudem virtutis amare.
Nec non conſuetæ nôrint hortamina vocis,
Seu curſus revocent, jubeant ſeu tendere curſus.
Quin etiam docti victam contingere prædam,

ANNOTATIONES.

192. *Nec.*] Et ne ſemel quidem catulos effræni curſu emicare permitte, ſed *parvæ vallis ſpatio ſeptove novali exerceto diu*, donec aſſueſcendo valeant etiam *validos* lepores *prævertere*. *Indulge moderamina* (ſic enim lego loco τῷ *moderamine*) *curſûs catulis* idem eſt quod, indulge habenas vel frænos equis. quod vitandum, ne nimiâ contentione vires frangant.

193. *Validos.*] Lepores ut enim proluſit in infirmo, ità exercitationis ſuæ profectus demonſtraret in validum leporem.

194. *Munere.*] Quià κάχρηται τῇ ἄγρᾳ ὡς ἄθλῳ. quod Gratius innuit hoc modo.

In partem prædæ veniat comes & ſua nôrit
Præmia; ſic operi juvet inſerviſſe benigno.

Ità ſæpiùs venando exacta voluntas illos ad opus ſuum inſtigat. Meliùs tamen dixeris, *venandi munera cogens diſcere. Munera* enim & *munia* eodem ſignificatu promiſcuè ponuntur. *Vlit.* & hoc ſanè poſtremum placet.

195. *Emeritæ.*] Spectatæ.

Amare.] Ambire, anniti ad, affectare. aſpire to.

196. *Hortamina.*] Imperia venatoris ex variis ſonis, ſeu inſtigat, ſeu revocat currentes.

Exanimare

Exanimare velint tantum, non carpere ſumptam.
Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, & in parvos iterum protendere curas.
Nam triſtes morbi, ſcabies & ſordida venis
Sæpe venit, multamque canes diſcrimine nullo
Dant ſtragem; tu ſolicitos impende labores,
Et ſortire gregem ſuffecta prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva
Admiſcere decet; catuloſque caneſque maritas
Ungere profuerit, tepidoque oſtendere ſoli,

ANNOTATIONES.

199. *Carpere.*] Hæc propria Vertragorum laus, ut illæſum leporem dente ferant. *Vlit.*

200. *Reparare.*] Virg. Georg. 3.

Atque aliam ex aliâ generando ſuffice prolem.

Ovid. autem eodem verbo utitur. Metam. Lib. 1. v. 363.

O utinam poſſem populos reparare paternis
Artibus ——

203. *Venit.*] Ingrata ſanè accidit auribus illa vox poſt τὸ *venis*: nec tamen mutare auſim; niſi quis *ſubit* reponi poſſe putet.

Diſcrimine.] Pari modo Gratius. v. 370.

——*juxtaque exercitus ingens*
Æquali ſub labe ruit ——

i. e. *ſub labe* diſcrimine nullo graſſanti. & v. 411.

205. *Et ſortire.*] Virg. Georg. 3.

——*ſobolem armento ſortire quotannis.* Vlit.

206. *Tritonide.*] Serenus Samonicus. c. 7.

Ferventes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miſcebis ſarra lepmi.

Auribus & tineas candenti pellere cultro.
Eſt etiam canibus rabies, lætale periclum; 210
Quod ſeu cœleſti corrupto ſidere manat,
Cum ſegnes radios triſti jaculatur ab æthra
Phœbus, & attonito pallens caput exerit orbe:

ANNOTATIONES.

ὀξελαιον uno vocant verbo unguentum ex oleo & aceto mixtum. Vlit. *olivæ* autem vocatur *Tritonis* quià Tritonidi. *i. e.* Palladi ſacra. *cum* ante *olivâ* ſubauditur.

209. *Tineas.*] Geſnerus ὁ κόρις *ricinos* intelligi putat. Iſidoro autem *ricinus* eſt, vermis canis, vocatus eo quod hæret auribus canum. Geſnerum errâſſe cenſet Vlitius, quia *ricini* vermium genus reptile, non volatile eſt. Quî itaque candorem cultri fugiant, cum capite ipſo infixi adeò inhærent? Ergò per tineas hoc loco muſcas caninas intelligere convenit; quià alatæ ſunt, & colore tineis haud abſimiles, ita dictas à Poetâ: quæ ut reliquum muſcarum genus quâvis ventilatione abigantur; cum ricini ſi vel manu vellantur, ulcera faciunt. Vlitius. modum tamen ſanandi à Nemeſiano præſcriptum inauditum aliàs aſſerit Vlitius. quid ſi iſtud remedium ab ipſo tantum ſit malè intellectum? Et illud *candenti* non *candidum* denotaret, ſed *ab igne calidum*? hoc ad delendos ricinos, quantumvis infixos valet; & quid, quæſo, candido opus eſt cultro pellendis tineis? Pace itaque tuâ, Vliti, Geſnerus mihi rectiùs videtur ſenſiſſe.

211. *Quod.*] *Quod periclum*, quod malum *ſive manat* à Sole (Ovidius enim Solem vocat *Æthereum ſidus*, ut hîc Nemeſian. *cæleſte*. L. 1. Metam. v. 424.) nigrâ ferrugine

Seu

Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Cum quatit, hoc canibus blandis inviſcerat æſtus:
Exhalat ſeu terra ſinus, ſeu noxius aer
Cauſſa mali; ſeu, cum gelidus non ſufficit humor,
Torrida per venas concreſcunt ſemina flammæ;
Quidquid id eſt, imas agitat ſub corde medullas,

ANNOTATIONES.

corrupto; nimirum cum Phœbus languidos emittit radios ab æthere jam nubibus opaco triſtique, & pallens oſtendit caput ab orbe ſuo attonito, & deliquium paſſo.

Vlitius quidem per *ſidus* intelligit tempeſtatem quandam anni ſub hoc vel illo ſidere; & *ſegnes radios* eo dici putat, quod Phœbus jam,

——*tardaſque vias, Cancrique morantis*
Sidus init. ut ante.

At non poſſum non putare, Nemeſianum grandius quiddam voluiſſe, & Phœbi labores illos mortalibus terrificos, malorumque prænuncios hiſce verſibus depinxiſſe.

214. *Seu magis.*] Seu potiùs, cum Sol ingreſſus eſt primam partem Leonis, *hoc* malum *canibus blandis inviſcerat æſtus.* Appoſitè Seneca in Oedipode. v. 39. in deſcriptione peſtis Thebis ortæ.

—— *ignes auget æſtiferi canis*
Titan, Leonis terga Nemeæi premens.

Vide Plinium. L. 2. c. 47. *Ardentiſſimo æſtatis tempore exoritur Caniculæ ſidus, Sole primam partem Leonis ingrediente.*

215. *Quatit.*] Idem quod Senecæ *premit.*

216. *Sinus.*] Ità omnes libri. tu tamen lege *ſinu.* S enim à ſequente voce adhæſit.

217. *Non ſufficit:*] Ità Seneca loco prædicto.

Deſeruit artus humor ——

219. *Imas medullas.*] Intima viſcera.

Inque feros rictus nigro ſpumante veneno
Profilit, inſanos cogens infigere morſus.
Diſce igitur potus medicos, curamque ſalubrem.
Tunc viroſa tibi ſumes, multumque domabis
Caſtorea, attritu ſilicis lenteſcere cogens,
Ex ebore huc trito pulvis ſectove feratur,
Admiſcenſque diu facies concreſcere utrumque:
Mox lactis liquidos ſenſim ſuperadde fluores,
Ut non cunctantes hauſtus infundere cornu
Inſerto poſſis, furiaſque repellere triſtes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.

ANNOTATIONES.

221. *Cogens.*] Nimirum *canes.*

223. *Viroſa.*] Deſumptum hoc à Virg. Georg. 1. v. 58. ad quæ verba ſic Servius. *Fibri, canes ſunt Pontici: quorum teſtes apti ſunt medicaminibus, propter quos ubi ſe requiri ſenſerunt, eos ſecant.* Plin. Lib. 22. cap. 3. *amputat ſibi teſticulos, urgente neceſſitate, ob hoc peti ſe gnarus, Caſtoreum id vocant medici. Viroſum* autem dicitur *Caſtoreum*, quià fœtidum & *virus* redolens. *Virus* pro malo odore poſuere veteres. Emmeneſſus.

228. *Non cunctantes.*] Lactis nimirum admiſtione liquidos, & in canum gulâ non hæſuros.

Cornu.] Hoc quoque à Virg. mutuatum. Georg. 3. v. 509.

Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenæos——

Inſtrumentum hoc, *Infundibulum* vocat Columella.

Quin

Quin & Tuſcorum non eſt extrema voluptas
Sæpe canum: ſit forma illis licet obſita villo,
Diſſimileſque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen injucunda dabunt tibi munera prædæ.
Namque & odorato noſcunt veſtigia prato,
Atque etiam leporum ſecreta cubilia monſtrant.
Horum animos, moreſque ſimul, nareſque ſagaces
Mox referam: nunc omnis adhuc narranda ſupellex
Venandi, cultuſque mihi dicendus equorum.
Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generoſa propago:
Armata & palmis nuper grex omnis avorum.

ANNOTATIONES.

231. *Quin & Tuſcorum.*] Cur hos à reliquis ſeparaverit Nemeſianus, ne indictâ causâ condemnetur, ipſe rationem eloquitur, quod *diſſimiles habeant catulis velocibus artus.* tum etiam quod ſagaces tantum ſint. *Vlit.*

241. *Cappadocumq;.*] Solinus enim dicit. Cappadocia, *terra illa ante alias altrix equorum & proventui equino accommodatiſſima.* Vlit.

242. *Armata.*] Variæ ſunt ad hunc locum doctorum conjecturæ; quibus (quià nec judicium nec veriſimilitudinem, nedum veritatem ſapiunt) inter variantes lectiones locus tantum dabitur. Gronovium verò lubentiſſimè audimus. Non eſt jactatus magis, nec deſperatus in Nemeſiano locus: videbamur tamen non incommodè cogitaſſe. *Armenti, & palmas numeret grex,* &c.

Illis ampla satis lævi sunt æquora dorso,
Immodicumque latus, parvæque ingentibus alvi;
Ardua frons, aureſque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vago ſplendore micantes:
Plurima ſe validos cervix reſupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores:
Nec pes officium ſtandi tenet: ungula terram
Crebra ferit, virtuſque artus animoſa fatigat.
Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum latè fœcunda proborum.

ANNOTATIONES.

Armentum. ut Colum. l. 6. c. 6. *maximè curandum, ut prædicto anni tempore, tam fœminis, quam admiſſariis deſiderantibus coeundi fiat poteſtas; quoniam id præcipue armentum, ſi prohibeas, extimulatur libidinis furiis, unde etiam veneno inditum eſt nomen ἱππομανὲς.* Statius. Lib. 8. *plena armenta uiris.* Dein. *palmas numeret,* eſt multas habeat. quam vim verbi explicuimus ad Statium.

243. *Æquora.*] Plana ſpatia. laudantur enim *εὐρέα νῶτα,* & *duplex ſpina.*

244. *Immodicumque.*] Virg. de bobus. *tum longo nullus lateri modus.* Pollux. *πλάγιοι βάθεαι.* Vlit.

245. *Ardua.*] Vide Virgil. Georg. 3. v. 79. & ſequentes. Hinc enim ſua mutuatus eſt Nemeſianus: ſed & mutuam invicem dabunt lucem.

247. *Reſupinat.*] Incurvat ſe. recurvam laudat cervicem Xenoph. qualem gallorum, non protentam, qualem porcorum. *Vlit.*

251. *Calpes.*] Carthagine in patriâ ſuâ ſcribenti hæc Aurelio Hiſpania à lævâ trans fretum oppoſita erat, ejuſque proximum Afris promontori-

Namque

Namque valent longos pratis intendere curſus.
Nec minor eſt illis Graio quam in corpore forma.
Nec non terribiles ſpirabile lumen anheli
Provolvunt flatûs, & lumina vivida torquent,
Hinnituſque cient tremuli, freniſque repugnant.
Nec ſegnes mulcent aures, nec crure quieſcunt.

ANNOTATIONES.

um Calpe, cui objacet Abyla, quæ duæ ſunt Herculis columnæ. *Vlit.*

253. *Namque valent.*] Primum à velocitate commendat equos Hiſpanos: proximè à formâ: deinde à bonæ indolis & animoſitatis ſignis. Vegetius: *Hiſpanorum par vel proxima* (poſt Cappadocas) *in circo creditur palma.* Strab. Lib. 3. Καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι καὶ εὐρύθμους μᾶλλον ἢ ἄλλων. Vlit.

255. *Nec non terribiles.*] Vlitiana Lectio eſt, quæ nunc contextum inſidet; Veteres enim Editi hoc modo, *numen anhelæ.* rectè Vlitius emendavit *anheli*, non inſolens enim mutatio. Gratii codices. *ipſæ* pro *ipſi.* 290. v. malè autem exponit. Sic enim ille. Ordo verborum hic eſt. terribiles quoque apparent, cum lucem atque ignem anhelo flatu provolvunt. *Terribiles* enim eſt quarti casûs, & cum *flatûs* conjungendum; *anheli* autem præcedit verbum. quod autem *lumen* loco τοῦ *numen* inſerendum duxit, nollem factum ob *lumina* proximo verſu. Scribe igitur. *flumen.* Ordo autem verborum hic. Quinetiam anheli & ardentes provolvunt terribiles flatûs, quaſi flumen ſpirabile. copiam & vehementiam ſpirituum per nares exundantem comparat flumini ex urnâ provoluto. legi poteſt *fulmen.* ſed priùs placet.

258. *Nec ſegnes mulcent.*] *Agiles aures* perpetua e-

Sit tibi præterea ſonipes, Mauruſia tellus
Quem mittit, modo ſit gentili ſanguine firmus,
Quemque coloratus Mazax deſerta per arva
Pavit, & aſſiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat quòd turpe caput, deformis & alvus
Eſt ollis, quodque infrenes, quod liber uterque,
Quodq; jubis pronos cervix diverberet armos.
Nam flecti facilis, laſcivaque colla ſecutus,

ANNOTATIONES.

quorum generoſorum laus. Hiſpani proinde non capiti admovent & adſternunt ignavas aures.

259. *Mauruſia.*] Libyam intelligit.

260. *Gentili.*] Si enim cum exoticis extra patriam miſcentur, degenerare ſtatim conſuerunt vel nobiliſſimi equi. *Vlit. Gentilis Sanguis* qui ex unâ eâdemque gente. Calpurn. Eclog. 2.

—— arte meâ mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, & non gentilia poma. Vlit.

261. *Coloratus*] Solis æſtu inſuſcatus.

Mazax.] Hi quoque Mauritaniæ populi, & Mauris hîc accenſentur. Oppian. Μάζυκες vocat. *Vlit.*

263. *Turpe.*] Livius de Numidis. *Equi ſine fræno, deformis ipſe curſus rigidâ cervice & extento capite currentium.* Vid. Gratium de Siculis equis. v. 525. *Vlit.*

264. *Infrenes.*] Omnes eæ gentes infrenibus equis uſæ. Virgâ enim reguntur; Silius Lib. 1.

Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

265. *Quodque jubis pronas.*] Jubas etiam indiſcretas & incomptas relinquebant equis ſuis Numi-

Paret

Paret in obſequium lentæ moderamine virgæ.
Verbera ſunt præcepta fugæ, ſunt verbera fræni.
Quin & promiſſi ſpatioſa per æquora campi
Curſibus acquirunt commoto ſanguine vires,
Paulatimque avidos comites poſt terga relinquunt.
Haud ſecus effuſis Nerei per cœrula ventis,

ANNOTATIONES.

dæ. ut Ælianus teſtatur. jubæ autem pronos armos non facile attingunt, niſi cum demiſſa & prona ipſa quoque cervix eſt. Livii verba ſunt. *deformis & ipſe curſus rigidâ cervice & extento capite currentium.* Vlit. Gronovius autem ad hunc locum ſcribit. Si memineris quid *diverberare* ſit, ſatis intelligas *cervicem armos diverberare jubis* dici non poſſe: non enim flagellare, percutere, eſt *diverberare*: ſed eventilare, diſcutere, agitando digerere & componere. Scribe igitur.

Quódque jubas pronis cervix diverberet armis.

Et mihi ſanè, quò diutiùs vim verborum inſpexi, eò verior & doctior viſa eſt conjectura.

267. *Paret in obſequium.*] Obſequiosè paret; ad obſequium uſque obtemperat.

268. *Fugæ.*] *Fugere* pro *currere*, & *fuga* pro *curſu* ſolenne poetis. V. Georg. 3. 142. *carpere prata fugâ.* poſt. 201.

269. *Quin & promiſſi.*] Quid ſibi vult *promiſſi* neſcio. lege, *permiſſi*: incitati, συθέντες, laxis quaſi habenis lati. ut Gratius: *qualis ſpatiis permiſſa Lechæis Theſſalium quadriga decus.* Quinetiam per ſpatioſam campi planitiem incitati, &c. hic locus unicè confirmat conjecturam meam ad Gratii, v. 520. *atque eluctabitur irâ.*

272. *Haud ſecus.*] Comparatio dilucida & perſpicua, nec inferior habenda

Cum

Cum se Threicius Boreas super extulit antro,
Stridentique sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cessérunt flamina ponto:
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,
Conspicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereidum mirata suo stupet æquore turba.
Horum tarda venit longi fiducia cursus:
His etiam emerito vigor est juvenilis in ævo.

ANNOTATIONES.

ipsâ ferè Virgiliana, *Vlit.* unum ramen me malè habet maris mentionem septies spatio septem versuum molestissimè occurrere. v. 272. *per cærula.* 274. *vastas undas.* 275. *turbato ponto.* 276. *super fluctus.* 277. *pelago.* 278. *suo æquore.* in versu autem 273. subintelligitur *mare* post super.

274. *Exterruit.*] Fecit exhorrescere, ut eos, quibus præ metu capilli stant erecti.

275. *Flamina.*] Olim *fluminа*. nullo sensu. Sic apud Gratium *fluctus* loco *flatus*. & sanè in scripturâ Longobardicâ parum discrepant inter se *u* & *a*. utraque enim capite aperto scribitur. tantum dextra linea ñ *a* superne inflectitur in formam propè ñ *c*.

278. *Suo æquore.*] *Stupet* Borean *euntem* per suum æquor. vel potiùs ipsa *Nereidum turba suo* ab *æquore* admirùm extans *stupet*, &c.

279. *Horum.*] Tardè fidendum est Mazacum virtuti longis in cursibus, serius enim virium ἀκμὴν & perfectionem attingunt: vires verò semel ad maturitatem perductas diutissimè servant, vigorque juvenilis perstat us-

" Nam

" Nam quæcunque ſuis virtus bene floruit annis,
" Non prius eſt animo quam corpore paſſa ruinam.
Paſce igitur ſub vere novo farragine molli
Cornipedes, venamque feri, vetereſque labores
Effluere aſpecta nigri cum labe cruoris.
Mox lætæ redeunt in pectora fortia vires,
Et nitidos artus diſtento robore formant.
Mox ſanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fuga conſumere campum.
Inde ubi pubentes calamos duraverit æſtas,

ANNOTATIONES.

que ad eam ætatem, cum alii ſtipendia ſua emeriti diludia poſcunt.

281. *Virtus.*] Hîc poni videtur *Virtus* abſtractè pro *equo animoſo, virtutis pleno.*

283. *Paſce.*] *Farrago.* Gloſſæ. γράστις. herba ſemimatura. Iſid. L. 17. c. 3. *farrago eſt herba hordeacea adhuc viridis, necdum granis ad maturitatem turgentibus.* Vegetius, L. 1. c. 22. *placuit pleriſque veris tempore quotannis de cervice jumentis ſanguinem demere, & ſic in herbam mittere, ne veteri corruptoque ſanguis novus admixtus naturâ coaleſcens debilitatem valetudiniſque periculum faciat.* Vlit.

284. *Vetereſque labores.*] Vetera mala. **Atis, Diſtempers.**

285. *Nigri.*] Cum nigro & vitiato ſanguine.

289. *Conſumere.*] Motu celerrimo percurrere. Sic Virg. Georg. 3. v. 142. *carpere prata fugâ.*

Lactenteſ-

Lactenteſque urens herbas ficcaverit omnem
Meſſibus humorem, culmiſque armarit ariſtas:
Hordea tum, paleaſque leves præbere memento.
Pulvere quin etiam puras ſecernere fruges
Cura ſit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plauſu ſonipes, lætumque relaxet
Corpus, & altores rapiat per viſcera ſuccos.
Id curent famuli, comitumque animoſa juventus.
Nec non & caſſes iidem venatibus aptos,

ANNOTATIONES.

291. *Lactenteſque.*] Lacte plenas. Virg. Georg. 1. v. 314. & deinceps.

296. *Plauſu.*] Eſt enim hoc ingenium equorum ut plurimum ducantur & exultent laude & blanditiis. Virgil. Georg. Lib. 3. v. 185.

299. *Caſſes.*] Egregiè ſanè caſſes, plagas, & retia diſtinguit; & retia definit longo tractu meantia. Plagæ autem à caſſibus differunt, quod illi concavi ſunt; ſunt enim, ut ipſa retia, planæ ac rectæ: à retibus, quod illa longo tractu tendantur; hæ nonniſi in viarum anguſtiis, quæ reti continuari non poſſint, objiciantur: ideò ἐφόδια vocant Græci. Horat. Epod. 2.

Aut trudit acres hinc & hinc multâ cane
Apros in obſtantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia.

Quibus apertè plagas à retibus diſtinguit. Virgil. Æneid. 4.

Retia rara, plagæ —

Servius: *Multi dividunt,*

Atque

Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiſcant raris ſemper contexere nodis,
Et ſervare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare ſaltus
Quæ poſſit, volucreſque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Namque urſos, magnoſque ſues, cervoſque fugaces
Et vulpes, acreſque lupos, ceu fulgura cœli
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.

ANNOTATIONES.

ut ſic retia rara majora; plagas verò minora intelligant. & hi quidem rectè. differunt autem à retibus non tantum, quod in viis tendantur, ſed etiam magnitudine. Pollux. Δίκτυα μὲν καλεῖται τὰ ἐν τοῖς ὀμαλοῖς καὶ ἰσοπέδοις ἐράμβια· ἐνόδια δὲ τὰ ἐν τοῖς ὀδοῖς. Vlit.

308. *Linique ſeptum.*] Totam puta ἀρκυοστασίαν, quam *indaginem* Latini vocant. Virgil.

——*ſaltuſque indagine cingunt.*

Indago eſt retium caſſiumque ſeries, quâ toti ſaltus circumdantur. Aurelius *ſeptum* haud immeritò dixit; ſiquidem & ἕρκη eo ſignificatu à Pherecrate poni obſervat Pollux. *Indago* autem non tantum retibus, ſed etiam formidine conſtabat, quæ, quà apertior ſylva eſt, totam ambiebat, & indaginem claudebat. *Vlit.*

Vetant.] Nempe *pinnæ. digerat* autem, quod præceſſit, ſignificat *digeſtas habeat*, alterna-

Has

Has igitur vario ſemper fucare veneno
Cura tibi, niveiſque alios miſcere colores,
Alternoſque metus ſubtegmine tendere longo.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur;
Dat Libye magnarum avium fœcunda creatrix;
Dantq; grues, cycniq; ſenes, & candidus anſer;
Dant, quæ fluminibus craſſiſque paludibus errant,
Pellitoſque pedes ſtagnanti gurgite tingunt:
Hinc mage puniceas nativo munere ſumes:
Namque illic ſine fine greges florentibus alis
Invenies avium, ſuavique rubeſcere luto,

ANNOTATIONES.

tim miſtas.

309. *Vario.*] Diverſicolori.

Fucare.] Colorare.

311. *Subtegmine tendere.*] Olim. *ſub tegmina tempore.* Vlitius, *ſubtemine tendere.* Barthius, *ſubtemine ponere.*

315. *Dant, quæ*] Utrum ardeas an ciconias intelligat, difficilè dijudicatu eſt: ambas poſſe ſumi in hunc ſenſum & uſum, non ambigo. *Vlit.*

317. *Hinc magè*] Vlitius verſum 313. huic proximè præponendum cenſet, & ſanè locum reddit dilucidiorem.

Munere.] Barthius, *murice* conjicit. doctè & ingeniosè.

319. *Suavique.*] Virg. Eclog. 4.

Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti

Et

Et ſparſos paſſim tergo vernare colores.
His ita diſpoſitis, hyemis ſub tempus aquoſæ
Incipe veloceis catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris veſtigia ſervant.

ANNOTATIONES.

Murice, jam croceo mutabit vellera luto. Quæ haud dubiè reſpexit Aurelius.

320. *Vernare.*] Steyn. *venare.*

Variæ Lectiones.

1. CANO.] *Cana.* Gronovius.
3. *Pandimus.*] *Pandimur.* Barth. & G.
5. *Caſtaliuſque.*] *Caſtaliique.* Conj. B.
Fontis.] *Phœbus.*
8. *Ducitque.*] A. S. *ducit per.*
12. *Et quamvis.*] Hic verſus vulgò eſt 24. ib.
Oſtendat.] Ald. Steyn. *ſe oſtendat.* B. *offendat.*
13. *Facies.*] Ità A. & P. *facile eſt.* Vlitius.
malè.
19. *Maternos red.*] *Maternis addere.* G. & B.
22. *Dixiſſe.*] *Duxiſſe.* G. B.
26. *Indictum.*] Ità omn. lib. *inductum.* B. Ed.
27. *Sævo.*] Omn. lib. Vlitius. *fædo.* vel *ſcævo.*
36. *Emiſſo.*] A. Steyn. *è miſſo.*
27. *Cygnum.*] Ità lege. *cycnum* A. Steyn. *cycnumque.* P.
41. *Vices.*] Vlitius *neces* conjicit.
43. *Incendia.*] Sic Pith. *ingentia.* omn. lib.
44. *Crinem.*] A. Steyn. *crimen.* ut & B. ex G.
crinem. Pith.
54. *Placidis.*] *Placitis.* B.
62. *Tentare.*] *Tranare.* G.
75. *Nulla.*] *Muta.* G. & B.
76. *Vobis.*] *Nobis.* omn. lib.
78. *Nota.*] *Vota.* G. *voto.* B.

81. *Romam.*] *Romamque.* G. *Clarumque.*] *Patrumque.* Vigilius.
83. *Queis.*] A. Steyn. *quis.* pro *queis.*
91. *Subtegmine.*] *Subtemine. ſub tegmine.* Steyn.
99. *Huc.*] Steyn. *hinc.*
100. *Avidoſque.*] *Rabidoſque* vel *pavidoſque.* Vlitius.
102. *Avido.*] Ità A. & P. *avidus* Vlitius, vel *avidè.*
Ponti.] G. & B. *pontum.*
104. *Janus.*] *Sanus* A. & Steyn. *Jamus.* Pith. rectè.
105. *Inoccid.*] Ità Pith. *in occid.* A. Steyn. & P.
107. *Laced.*] *Lacedæmonie.* Steyn.
113. *Nimis.*] Ità omn. lib. *minus* B.
115. *Juventus.*] Ità A. Steyn. *juventus* P.
116. *Abun.*] *Abundans.* A. & B.
132. *Fœcundos.*] *Fœcundo ſe ap-partu.* G. & B.
146. *Curſu.*] Ità A. Steyn. *curſus* Vliti.
148. *Signetque.*] Ità A. & P. Steyn. *ſignet.* B.
Habilem.] *Flabilem.* G.
151. *Examine honeſtos.*] G. & B. *examen honeſti.*
152. *Judicio.*] B. *iudicio.*
168. *Ne.*] A. Steyn. *nec. Moles.*] Sic Vlitius. *molles* A. & Steyn.
170. *Natantia.*] Ità A. Steyn. *nutantia.* P.
177. *Obtunduntve.*] *Obtunduntque.* G. & B.
191. *Nunc.*] G. *tunc. Prædas.*] Ità A. *prædam.* G.
194. *Munere.*] G. & B. *munia.* Vlit. *munera.*
202. *Triſtes morbi.*] Ità. G. *triſtis morbi ſcab.* A. St. B.
213. *Orbe.*] *Orbi.* B.
215. *Inviſcerat.*] Ità A. Steyn. *inviſerat.* P. *immiſerit.* conj. Pith. *immiſerat.* citat B.
216. *Terra ſinus.*] *Terra ſitu.* B.
232. *Sit.*] Ità G. *eſt* A. P. Steyn.
234. *Prædæ.*] Ità B. *prædâ.* A. Steyn. P.
242. *Armata &.*] Swarthius conjicit
Æmathiæ palmas ſuperat grex omnis Achivûm.
Jacob. Gothofredus.
Argæa & palmæ nuper grex nomine ſacrum.
Barthius.

Barthius.

Marte det, & palmas nuper grex omnis avorum.

aliter.

Marte decet palmas grex nuperus, &c.

idem poſteà.

Forma ſat: & palmas ſuperat, &c.

Vlitius.

Armata & palmis. vel, *ambiat & palmas.*

246. *Vago.*] *Vagum.* G.

256. *Graio.*] *Grato pro corpore fama.* G. & B.

257. *Lumen.*] Ità Vlitius *numen anhelæ.* A. St. P. *flumen abunde.* G. *flumen anhelis.* B. vel totum verſum delet.

263. *Deformis.*] *Deformior alvus* G. & B.

271. *Avidos.*] *Pavidos.* G.

274. *Stridentique.*] Deeſt hic verſus in G.

275. *Flamina.*] Ità Pithœus. lib. *flumina. numina* conjecit B.

286. *Labe.*] *Tabe.* G.

287. *Formant.*] *Firmant.* G.

292. *Meſſibus.*] Ità G. & B. *menſibus* ait P. Steyn.

311. *Tendere.*] Vlitius ità. *ſubtegmine tempore.* A. Steyn. P. *ſubtemine tempore.* G. *jungere* conjicit Gronov. *ponere.* B.

314. *Dantque*] *Datque.* A. Steyn.

317. *Munere.*] *Murice.* B.

320. *Vernare.*] *Venare.* A. Steyn.

HIER. FRACASTORII

ALCON;

SIVE,

De cura Canum venaticorum.

HIER. FRACASTORII

ALCON;

SIVE,

De cura Canum venaticorum.

ASSIDUIS nuper fessus venatibus Alcon,
Fallerer æstivi ut fastidia longa diei,
Corvini quà se nemora excelsissima cœlo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum,
Me segnes artus, defectaque viribus ætas
Et superare juga, & latis discurrere campis,
Et torquere leves hastas, & ferre pharetram
Nate, vetant, densâque indagine cingere silvas.

Sed te pulvereum curſu tranſmittere campum
Ferre æſtum friguſque, leves agitare Moloſſos,
Et pinguem ſilvis ad tecta avertere prædam
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
En arcum pharetramq; tibi, jaculumq; relinquo:
Ne tamen uſque adeo plenæ confide pharetræ,
Ut poſtrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris prævertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum ſuperare leonem,
Ergo age, & hæc tecum ſemper mandata reſerva.
Principio ut generoſa canum tibi copia nunquam
Deſit, quæ certam valeat promittere prædam,
Elige degeneri nequaquam ſemine natos,
Sed quos aſſidue ſilvis exercuit altis
Et labor indomitus, ſævarum & præda ferarum.
Nec vero parvi formamque genuſque putaris:
Nam neque ſunt animi, neque mores omnibus iidem,
Et variæ diverſa canum dant ſemina gentes.
Nam rabidas ſi forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput objectare periclis;
Spartana de ſtirpe tibi, de ſtirpe Moloſſa

Quære

Quære canes, Libycos illis, acreſque Britannos,
Pannonioſque truces, & amantes prælia Celtas
Adde, nec Hyrcanos, nec Seras ſperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreaſque fugaces
Malueris, timidoſque ſequi per devia cervos,
Delige Pannonios agiles volucreſque Sicambros.
Quod tibi ſi latebras, abſtruſaque luſtra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi eſt,
Hunc uſum implebit Perſes & Saxogelonus.
At genere ex omni præſertim delige quæ nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis,
Sed ſublime caput, vivacia lumina & amplam
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui rectæ ſurgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam deſcendens ſpina reflexam,
Sint armi lati, ſint æque pectora lata,
Lata alvus, quæ ſic coſtis adjungitur imis,
Ut tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum;
Ut cava diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis.
Ima pedum parva ſignent veſtigia planta.
Huic ſimilem conjunge marem, cum vere tepenti

Tangit

Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum:
Bis quinas tamen ante dies, accenſus uterque
In venerem, venere abſtineant: ſic plena libido
Acrius exſtimulat, vireſque ad ſemina præbet.
Hinc major ſoboles, atque inde valentior exit.
Quæ ſimul ac ſeſe numeroſo protulit ortu,
Selige de multis quos jam præſtare videbis
Pondere: vel ſtipulæ flammis include ſonoris
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam ſobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis & inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus ætas
Acceſſit, parvum curſu conſcendere collem
Et molli aſſueſcant ſeſe demittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbiſque viri parere vocantis.
Nulla mora eſt, ipſis creſcent cum viribus anni.
Jam potes hos tuto denſis committere ſilvis:
Perque altos montes per luſtra agitare ferarum.

Nec

Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni:
Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis, tum curſibus illos
Exerce aſſiduis: ac mox ad tecta reverſi,
Vincla pati diſcant: ita demum libera colla,
Cum res ipſa, uſuſque vocat, majore feruntur
Impete, nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſilvis catulos eduximus altis:
Nunc quæ morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnes cum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo, & rapidis ſimul omnia concoque flammis;
Terque die inſerto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat æſtu
Butyro lapathi ſuccos, Siculique Lyæi
Pocula, contuſumque piper ſimul omnia miſcens
Proſubige; ut certi ſimul ac commixta liquoris
Prætulerint ſpeciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam ſed forte ſitim dum ſublevat atro
Fonte canis, lymphæ mala ſi ſucceſſit hirudo

Cimiceo

Cimiceo ſuffire canem nidore licebit :
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam
Incoquere, offenſoque cani præbere vorandam.
At cum tetra lues, clavos dixere, palatum
Afficiet miſere, ſilveſtria ſeſama, necnon
Bacchi acidos latices, & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum : dein ſingula in unum
Confundens, tetræ cauſam ſuper illine peſtis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Cum tabes, crebræque fluunt à lumine guttæ,
Jam frondes ſacræ myrti ſilveſtris & uvæ
Ardenteſque roſas diluto concoque Baccho,
Hiſque affecta levi citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod ſi nativo ſtimulatur coxa dolore
Lemiulum lapidem, Meditem nomine dicunt,
Urina ſemel atque iterum demerge recenti :
Cui Bacchi dulces, acidoſque adjunge liquores,
Quaque latet peſtis ſumpta circumline penna.
Aſt ubi rupta novo manabit ſanguine vena,
Tum murem geminum, ac telam pendentis arachnes

Ure

Ure foco, cineremque undanti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo verò lotii cum forte meatu
Vexari aſpicies catulum, cerealia dona
Objice, lacte prius ſimæ perfuſa capellæ.
At contra venis ſi quando ſanguis apertis,
Pro facili urina, terram madefecerit atram,
Conveniet lente ferventi lactis aheno
Mollire, & tenues coriandri immittere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,
Inſertoque cani paulatim infundere cornu.
Quid? taceam nimio cum decidit ungula curſu?
Frangere namque juvat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire ſaliva:
Incipientque novi ſubcreſcere protinus ungues.
Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab œ-
ſtro:
At tu ſilveſtrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere ſalubri
Diſce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muſcarum turba moleſta
Impetit, uſque adeo mutilatum appareat alte

Ut caput : ipſe autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus viridique putamine tinge.
Quid cum dura canes inter ſe prælia miſcent
Alter ut alterius percuſſus dente laboret?
Tunc etenim cervi flammæ ſubjecta voraci
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis olivæ
Unguinis in morem, ac vulnus letale perungens :
Quamquam etiam poſſis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu,
Quo valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre
Gramen, & ipſe ſibi nullo auxiliante mederi.
Senſerit at rapidos ubi morſus, protinus ipſe
Idæam rutæ foliis acrique Lyæo
Junge picem, læſæque adhibe hæc medicamina parti.
At mala cum ſcabies miſeros depaſcitur artus
Latrantum, & fœdè miſerabile corpus adurit ;
Ceruſam, abdomenque bovis, reſinamque tenacem
Butyrumque recens viridantibus incoque ſenfim
Lentiſci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc præcipuè ſolerti mente cavendum eſt,
Cum rabie accenſus nunc hos nunc impetit illos,

Ipſi

Ipſi infenſus hero, datque inſanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compeſce catena:
Inde roſæ agreſtis radicem pondere ſaxi
Contuſam vivi fontis conſperge liquore,
Ut potus ſpeciem lino colata nigranti
Præferat: hac ſumpta revocari ad priſtina traduntur
Senſa canem, ac poſita rabie miteſcere rurſum.
Sunt qui ſilveſtres ficus adipemque vetuſtum
Contundant: ederas alii ferventibus undis
Emollire jubent, donec pars una ſuperſit
E tribus, atque ipſis foliis tepidoque liquore
Paſcere quadrupedem aurora ſurgente furentem.
Nil tandem uſque adeo prodeſt, ac prima ſub ipſum
Principium morbi reſcindere ſemina ferro.
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, & fauces nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit uſque Moloſſos
Vulnificus vermis, ſuffunditque ora veneno.
Quem ſi quis potuit ferro reſecare, potentem
Is tanti abſtulerit cauſam, ſtimulumque furoris.

Quæ

Quæ ſuperant, olim. nunc prædam ad tecta jacentem
Ferre monet præſens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos poſuit Corydallus acutos,
Et jam ſubluſtres invectat luna tenebras.

JOAN.

JOANNIS CAII BRITANNI

DE

CANIBUS BRITANNICIS

LIBER UNUS.

JOANNIS CAII BRITANNI DE CANIBUS BRITANNICIS LIBER UNUS.

Ad GESNERUM.

SCRIPSIMUS ad te (chariſſime Geſnere) ſuperioribus annis variam hiſtoriam de variis quadrupedum, avium, atque piſcium formis: variis herbarum atque ſtirpium ſpeciebus & figuris. Scripſimus & de canibus quædam ad te ſeorſum, quæ in libro tuo de Iconibus animalium ordine ſecundo manſuetorum quadrupedum, ubi de

Canibus Scoticis ſcribis: & in fine Epiſtolæ tuæ ad Gulielmum Turnerum de libris à te æditis, inter libros nondum excuſos, te æditurum polliceris. Sed quia de Canibus noſtris quædam in eo libello mihi videbantur deſiderari, æditionem prohibui, & alium promiſi. Quamobrem, ut promiſſis meis ſtarem, & expectationi tuæ ſatisfacerem, homini omnis cognitionis cupido, univerſitatem generis, differentiam atque uſum, mores & ingenium, veluti methodo quadam conabor explicare. Diſpartiar in tres ſpecies: Generoſam, Ruſticam, & Degenerem: ſic ut de illa primò: de hac poſtremò: de ruſtica, medio loco tibi dicam. Omnes Britannicos vocabo: tum quòd una Inſula Britannia, ut Anglicos omnes ſic quoque Scoticos omnes complectatur: tum quòd venatibus magis indulgemus, quia voluptati ex feris & venatione, propter animalium copiam atque hominum otium, magis Britanni ſumus dediti, quàm eorum animalium indigi & negotioſi Scoti. Ergo cum omnis ratio generoſæ venationis, vel in perſequendis feris, vel in capiendis avibus finiatur, canum, quibus hæc aguntur, duo genera ſunt: alterum quod feras inveſtiget, alterum quod aves perſequatur. Utraque Latinis uno & communi nomine dici poſſunt venatica. Sed Anglis cum aliud eſſe videatur feras ſectari, aliud aves capere, ut primum venationem, ſecundum aucupium nominant, ita canum nomina volunt eſſe diverſa: ut qui feras laceſſunt, venatici: qui aves, aucupatorii dicerentur. Venaticos rurſum divido in quinque genera. Aut enim odoratu, aut viſu fatigant feras, aut pernicitate vincunt, aut odoratu & pernicitate ſuperant, aut dolo capiunt. Qui odoratu fatigat: & prompta alacritate in venando utitur, & incredibili ad inveſtigan-

Ex generoſis venaticis.

Sagax.

veſtigandum ſagacitate narium valet: à qua re nos ſagacem hunc appellamus, quem Græci ab inveſtigando ἰχνεύτην, à nare ῥινικὸν dicunt. Huic labra propenſa ſunt, & aures ad os uſque pendulæ, corporiſque media magnitudo.

Hunc Leverarium vocitabimus, ut univerſum genus in certas ſpecies atque nomina reducamus: cum alioqui uſus aut officii nomine, in unitatem ſpeciei adigi nullo modo queant. Nam alius leporis, alius vulpis, alius cervi, alius platycerotis, alius taxi, alius Lutræ, alius Muſtelæ, alius cuniculi (quem tamen non venamur niſi caſſe & viverra) tantum odore gaudet: & in ſuo quiſque genere & deſiderio egregius eſt. Sunt ex his qui duos, ut vulpem atque leporem, variatis vicibus ſequi ſtudent, ſed non ea fælicitate, qua id quod natura ſequi docuit: errant enim ſæpius. Sunt qui vulpem atque taxum ſolum, quos Terrarios vocamus: quod ſubeant terræ cuniculos, more viverrarum in venatu cuniculorum, & ita terrent mordentque vulpem atque taxum, ut vel in terra morſu lacerent, vel è ſpecu in fugam aut caſſes cuniculorum oſtiis inductas, compellant. Sed hi in ſagacium genere minimi ſunt. Qui inſequuntur, majores: propenſo & hi labro atque aure, nec vivas tantum uti memorati omnes, ſed & mortuas quoque conſperſi ſanguinis odore perſequuntur. Sive enim vivæ ſauciantur feræ, atque è manibus venatorum elabantur, ſive mortuæ ex vivario ſublatæ ſunt (ſed profuſione ſanguinis utræque) iſti canes odore facilè perſentiſcunt, & ſubſequuntur. Eam ob cauſam ex argumento ſanguinarii appellantur. Cum tamen fieri ſolet ut furum aſtutia nullo conſperſo ſanguine abripiatur fera, etiam ſicca hominis veſtigia per extentiſſima

Leverarius.

Terrarius.

Sanguinarius.

tentissima spatia nullo errore sequi norunt, in quantalibet multitudine secernere, per abditissima & densissima loca appetere, & si flumina tranent etiam persequi: cumque ad ulteriorem ripam perventum est, circuitu quodam qua fugitum est investigare, si primo statim odore in vestigium furis non inciderint. Sic enim arte inveniunt, quod fortuna nequeunt, ut rectè videatur, ab Æliano scriptum, libro sexto, capite quinquagesimo nono de animalibus, τὸ εὐθυμητικὸν καὶ διανοητικὸν, καὶ μέντοι καὶ τὸ αἰσθητὸν, hoc est, considerationem, ratiocinationem, atque etiam partitionem seu arbitrium canibus hisce venaticis inesse: nec ante cessant persequi, quàm sunt fures comprehensi. Eos luce, in tenebris habent heri: nocte producunt, quo alacriores in persequendo sint assueti tenebris, quibus prædones delectantur maximè. Iidem cum fures insequuntur, non ea donantur libertate qua cum feras, nisi in magna celeritate fugientium furum, sed loro retenti, herum ducunt qua velit ille celeritate, sive pedes sit, sive eques. In confiniis Angliæ atque Scotiæ propter frequentia pecorum & jumentorum spolia, multus usus hujus generis canum est, & principio discit pecudem & armentum persequi, postea furem relicto armento. In hoc genere nullus est aquaticus naturaliter, nisi eos ita nominare placeat, qui Lutram insequuntur, qui subinde ripas, subinde aquas frequentant. Non recusant tamen omnes aviditate prædæ tranantis flumina, etiam aquis se committere. Sed hoc desiderii potius est, quàm naturæ. Quod autem ex his aliquas, Brachas nostri, Rachas Scoti sua lingua nominant, in causa sexus est, non genus. Sic enim canes fœminas in venatico genere vocare solent nostri. Ad postremum, in natura sagacium est, ut alii pervestigando taceant ante excitatam feram, alii statim ad primum odorem voce prodant animal, etsi remotum

motum adhuc, & in cubili: & quo juniores, eo petulantioris oris & mendacioris ſunt. Ætas enim & venandi aſſiduitas, experientiam in his facit & certitudinem, ut in aliis omnibus: maximè, cum norint obtemperare domino vel inhibenti vel animanti. Quod viſu laceſſit, nare nihil agit, ſed oculo: oculo vulpem lepo- *Agaſæus.*
remque perſequitur, oculo ſeligit medio de grege feram, & eam non niſi bene ſaginatam & opimam: oculo inſequitur: oculo perditam requirit: oculo ſi quando in gregem redeat, ſecernit, cæteris relictis omnibus, ſecretamque curſu denuo fatigat ad mortem. Agaſæum noſtri abs re, quòd intento ſit in feram oculo, vocant. Uſus ejus eſt, in ſeptentrionalibus Angliæ partibus magis quàm meridionalibus: locis planis & campeſtribus, quàm dumoſis & ſylveſtribus: equitibus magis quàm peditibus, quò ad curſum equos incitent (quibus delectantur magis quàm ipſa præda) aſſueſcantque ſepes foſſaſque inoffensè & intrepidè tranſilire & aufugere, quò inſeſſores per neceſſitates & pericula ſalutem fuga ſibi quærant, aut hoſtem inſequendo cum velint cædant. At ſi quando canis aberraverit, dato ſigno quàm mox accurrit, & feram de integro ſubſequens, clara voce, curſuque celeri ut ante laceſſit.

Quod pernicitate vincit, leporarius *Leporarius.*
dicitur: quòd præcipua ejus cura, præcipuuſque uſus eſt in perſequendo lepore. Quanquam & in capiendo platycerote, cervo, dorcade, vulpe, & hoc genus aliis feris, & viribus & memorata velocitate valent: ſed plus minus pro ſuo quiſque deſiderio, & corporis firmitudine aut exilitate. Eſt enim ſtrigorum genus: in quo alii majores ſunt: alii minores: alii pilo ſeſſili: alii hirto. Majores majoribus, minores minoribus feris deſtinamus. Cujus naturam in venatione,

magnam: in hoc, miram deprehendi: quòd (referente Joanne Froisarto historico lib. hist. fuæ 4.) leporarius Richardi secundi Anglorum regis, qui ante neminem præter regem agnoverat, venientem Henricum Lancastriæ ducem ad castellum Flinti ut Richardum comprehenderet, relicto Richardo, Henricum solitis in Richardum favoribus exceperit: quasi adversitates Richardi futuras intellexerat & præsentiscerat. Id quod Richardus probe animadvertit, atque ut præsagium futuri interitus verbis non dissimulavit.

Levinarius; seu lorarius. Quod sagacitate simul & pernicitate potest, & genere, & compositione corporis medium est inter sagacem illum, & leporarium: & à levitate appellatur levinarius, à loro (quo ducitur) lorarius. Hic propter velocitatem, & gravius feram urget, & citius capit. Quod

Vertagus. dolo agit, Vertagum nostri dicunt, quòd se dum prædatur, vertat, & circumacto corpore, impetu quodam in ipso specus ostio feram opprimit & intercipit. Is hoc utitur astu. Cum in vivarium cuniculorum venit, eos non lacessit cursu, non latratu terret, nec ullas inimicitias ostentat, sed velut amicus aliud agens, taciturna solertia prætergreditur, observatis diligenter eorum cuniculis. Eò cum pervenerit, ita se humi componit, ut & adversum ventum semper habeat, & cuniculum lateat. Sic enim ille revertentis aut exeuntis cuniculi odorem facilè sentit, & suus cuniculo omnino tollitur, & prospectu fera fallitur. Ad hunc modum compositus canis & prostratus, aut exeuntem cuniculum & imprudentem in ipso specus ingressu versutè opprimit, aut revertentem excipit atque ad latentem herum ore perducit. Minor hic est sagaci illo, strigosior, & erectiore aure. Corporis figurâ

leporarium

leporarium ſpurium diceres, ſi major eſſet. Et quamvis eo minor multò ſit, uno tamen die tot poteſt capere, quot juſtum equi onus eſſe poſſunt. Dolus enim illi pro virtute eſt, & corporis agilitas. Huic ſimilis, canis furax eſt, qui jubente hero noctu progreditur, *Canis furax.* & ſine latratu odore adverſo perſequens cuniculos, curſu prehendit quot herus permiſerit, & ad heri ſtationem reportat. Vocant incolæ canem nocturnum, quòd venetur noctu. Sed hæc de iis qui feras inſequuntur.

Qui aves, proximum locum habent. Eos Aucupatorios dici, *Ex generoſis aucupatoriis.* ante propoſuimus. Hi ex generoſorum numero etiam ſunt, & duûm generum. Alii enim per ſicca tantum venantur: Alii per aquas tantum aves perſequuntur. Qui per ſicca tantum, aut libero veſtigio & latratu avem inveſtigant & excitant, aut tacito indicio eandem commonſtrant. Primum genus Accipitri ſervit: ſecundum reti. Peculiaria nomina primum genus non habet, niſi ab ave ad quam venandam natura eſt propenſius. Qua de cauſa Falconarii hos, phaſianarios: hos, perdiciarios vocare ſolent. Vulgus tamen noſtrum communi nomine Hiſpaniolos nominat, quaſi ex Hiſpania productum iſtud genus primo eſſet. Omnes maxima ex parte candidi ſunt: & ſi quas maculas habeant, rubræ ſunt, raræ, & majores. Sunt & ruffi atque nigri, ſed perpauci. Eſt & hodie novum genus ex Gallia advectum (ut novitatis omnes ſumus ſtudioſi) ſed ex toto in albo obfuſcatum maculosè, quem Gallicanum vocitamus. Secundum genus eſt, *Hiſpaniolus.* *Index.* quòd tacito pede atque ore avem quærit, & nutum juvantis heri ſequitur, vel promovendo

promovendo se, vel reducendo, vel in alterutram partem dextram aut sinistram declinando. Cum avem dico, Perdicem & Coturnicem intelligo. Cum invenerit, cauto silentio, suspenso vestigio, & occulto speculatu, humiliando se prorepit, & cum propè est, procumbit, & pedis indicio locum stationis avium prodit: unde canem indicem vocare placuit. Loco commonstrato, auceps exporrectum rete avi inducit. Quo facto, canis ad consuetum heri indicium seu vocabulum quam mox assurgit, & propinquiori præsentia aves perturbat, atque ut inexplicabilius irretiantur facit. Quod artificium in cane, animali domestico, mirum videri non debet, cum & lepus agreste animal, & saltare, & tympanum anterioribus pedibus numero pulsare tympanistarum more, & canem dente atque ungue petere, pedibusque crudeliter cædere, in Anglia visus est omnium admiratione, anno salutis nostræ 1564. Nec est vanum istud, eoque relatum lubentius quòd operæpretium putarem, nihil prætereundum esse, in quo naturæ spectanda sit providentia. Qui per aquas aucupatur propensione naturali accedente mediocri documento, major his est, & promisso naturaliter hirtus pilo. Ego tamen ab armis ad posteriores suffragines, caudamque extremam, ad te (Gesnere) detonsum pinxi, ut usus noster postulat, quo pilis nudus expeditior sit, & minus per natationes retardetur. Aquaticus à nostris appellatur: ab aquis quas frequentat sumpta appellatione. Eo aut aves in aquis aucupamur (& præcipue anates: unde etiam anatarius dicitur, quod id excellenter facit) aut Scorpione occisas educimus, aut spicula sagittasque fallente ictu recuperamus, aut amissa requirimus: quo nomine & canes inquisitores

Lepus tympanum pulsat.

Aquaticus, seu inquisitor.

inquisitores eosdem appellamus.
Quanquam Anas, & canem, & aucupem quoque egregiè subinde fallat, tum urinando, tum etiam dolo naturali. *Anatum fallaciæ.* Etenim si quis hominum ubi incubant aut excludunt, propinquabit, egressæ matres, venientibus se sponte offerunt, & simulata debilitate vel pedum vel alarum, quasi statim capi possint, gressus fingunt tardiores. Hoc mendacio solicitant obvios, & eludunt, quoad profecti longius à nidis avocentur: caventque diligenter revertendo, ne indicium loci conversatio frequens faciat. *Anaticularum providentia.* Nec anaticularum studium segnius ad cavendum. Cum enim visas se persentiscunt, sub cespitem confugiunt aut carectum, quorum obtectu tam callidè proteguntur, ut lateant etiam deprehensæ, nisi fraudem canis odore detegat. *Canis piscator.* Canem piscatorem (de quo scribit Hector Boethius) qui inter saxa pisces odore perquirit, nullum planè novi inter nostros, neque ex relatione aliquando audivi, etsi in ea re perserutanda perdiscendaque diligentior fuerim inter piscatores & venatores: nisi Lutram piscem dicas, ut à multis creditur: quo modo & Pupinus avis, piscis esse dicitur & habetur. *Lutra.* *Pupinus.* Sed qui perquirit piscem (si quis perquirat) venationis ne causa, an famis faciat, more cæterorum canum, qui per inediam cadaverum morticinam carnem appetere solent, tum demum ad te scribam, cum de ea re certior fiam. Interim id scio, Ælianum & Ætium Lutram, κύνα ποταμὸν solere appellare. Intelligo etiam Lutram hoc habere cum cane commune, quòd per inopiam piscium, excursiones in terram faciat, atque aguos laniat, rursusque ad aquam satur redeat.

redeat. Sed inter noſtros canes
Phocæ. is non eſt. Phoca etiam inter ſcopulos atque ſaxa prædatur piſcem, ſed in numero canum noſtratium habitus non eſt, etſi canis marinus à noſtris appelletur.

Eſt & aliud genus canum generoſorum apud nos, ſed extra horum ordinem, quos Melitæos Callimachus vocat, à Melita inſula in freto Siculo (quæ hodie uſu derivante Malta vulgo dicitur, & Chriſtiano milite nobilis exiſtit) unde ortum id genus habuit maximè: atque à Melita Siculi Pachyni, ut author Strabo eſt. Perexiguum id eſt planè, & fœminarum luſibus ac deliciis tantum expetitum, quibus quo minus eſt, eo gratius eſt, ut ſinu geſtent in cubiculis, & manu in pilentis, genus ſanè ad omnia inutile, niſi quòd ſtomachi dolorem ſedat applicatum ſæpius, aut in ſinu ægri geſtatum frequentius, caloris moderatione. Quin & tranſire quoque morbos ægritudine eorum intelligitur, plerumque & morte: quaſi malo in eos tranſeunte caloris ſimilitudine. Generoſorum canum genus jam explicui:

Ex generoſis delicatis, Melitæus, ſeu fotor.

Nunc ruſticum adjicio. In eo
Ex ruſticis. memorabilia duo tantum genera ſunt: pecuarium, ſeu paſtorale, & villaticum ſeu Moloſſum: alterum ad propellendas injurias ferarum, alterum adverſus inſidias hominum utile. Paſtorale
Paſtoralis. noſtrum mediocre eſt, quòd illi cum Lupo, naturali pecori inimico, res non eſt, cum apud nos nullus eſt, beneficio optimi principis Edgari, qui, quò genus univerſum deleretur, Cambris (apud quos in magna copia erant) vectigalis nomine in annos imperavit trecentos lupos. Sunt qui ſcribunt Ludwallum Cambriæ prin-

Lupi nulli in Britannia.

cipem

cipem pendiſſe annuatim Edgaro regi, 3000 lu-
porum tributi nomine, atque ita annis quatuor om-
nem Cambriam atque adeo omnem Angliam or-
baſſe lupis. Regnavit autem
Edgarus circiter annum Domi- *Edgarus.*
ni, 959. A quo tempore non
legimus nativum in Anglia viſum lupum: adve-
ctum tamen queſtus faciundi cauſa ex alienis regio-
nibus, ut ſpectetur tantum, tanquam animal rarum
& incognitum, ſæpius vidimus. Sed ad canem
paſtoralem. Is ad certam heri jubentis vocem, aut
ex pugno concluſo & inflato clariorem ſibilum,
errantes oves in eum locum redigit, in quem pa-
ſtor maximè deſiderat: ſic ut levi negotio, & im-
moto ferè pede, paſtor quo velit modo ovibus mo-
deretur, vel ut ſe promoveant, vel gradum ſiſtant,
vel pedem referant, vel in hanc illamve partem
ſe inclinent. Etenim non ut in Gallia & Germa-
nia, non ut in Syria & Tartaria, ſic in Anglia quo-
que oves paſtorem ſequuntur, ſed contra, paſtor
oves. Quandoque etiam nullo procurrente aut cir-
cumeunte cane, ad ſolum ex pugno ſibilum ſeſe con-
gregant palantes oves, metu canis credo, memores
unà cum ſibilo, prodire quoque & canem ſolere.
Id quod in itinere diligenter ſæpius obſervavimus,
ad paſtoris ſibilum refrenantes equos, quo videremus
rei experimentum. Eodem etiam cane ovem vel
mactandum prehendit, vel ſanandum paſtor capit,
nulla prorſus læſione.

Villaticum, vaſtum genus eſt *Villaticus, ſeu Ca-*
& robuſtum; corpore quidem *tenarius.*
grave & parum velox, ſed aſpe-
ctu truculentum, voce terrificum, & quovis Arca-
dico (qui tamen ex leonibus creditur provenire)
potentius atque acrius. Quòd villis fideliter cu-
ſtodiendis deſtinamus, cum metus eſt à furibus,
villaticum appellamus. His quoque utile, id eſt,
contra vulpem atque taxum, qui rem pecuariam
faciunt.

faciunt. Valet etiam ad ſues agreſtes perſequendos, domeſticos è frugibus aut arvis abigendos, taurosque capiendos atque retinendos, cum uſus aut venatio poſtulat, ſinguli ſingulos, aut ſummum duo ſingulos, quamvis intractabiles. Eſt enim acerrimum genus & violentum, formidabile etiam homini, quem non reformidat. Neque enim ad arma expaveſcit: quoque actius ſiat, aſſueſcunt noſtri naturam arte & conſuetudine juvare. Etenim urſos, tauros, arctylos, aliaque fera animalia, præſectis certaminum arctophylacibus, nullo milo, nullo corio defenſos exagitare: ſæpe etiam cum homine ſude, clava, enſéve armato concertare docent, atque ita ferociores acrioreſque reddunt, & imperterritos faciunt. Vis illis ſupra fidem, & pertinax mordacitas, uſqueadeo ut tres urſum, quatuor vel leonem comprehendant. Quod videns aliquando (ut fama eſt)

Henricus ſeptimus. HENRICUS ſeptimus, Angliæ rex prudentiſſimus, quotquot erant ſuſpendi juſſit, indignatus ut infimi & ignobilis generis canes, generoſo leoni, & animalium regi violentiam inferant: memorabili exemplo ſubditorum, ne quid contra regem gens rebellis audeat. Haud abſimilis etiam hiſtoria de eo fertur, quod Falconem quendam ſuum, à Falconariis vehementer laudatum, quòd in aquilam quid auderet, quàm mox occidi juſſit, ob eandem rationem. Hoc genus canis, etiam Catenarium, à catena ligamento, qua ad januas interdiu detinetur, ne ſolutum lædat, & tamen latratu terreat, appellatur. Et quanquam

Cicero. Cicero pro S. Roſc. opinetur, ſi canes luce latrent, iis ornta ſuffringantur, noſtri tamen homines propter ſecuritatem vitæ atque rei, longe aliter ſentiunt.

Fures. Nam furum apud

pud nos plena sunt omnia: etiam luce, neque infamem mortem suspendia metuunt. In causa est non curta res solum, sed vestis vitæque luxus atque fastus etiam, sed petulantia, sed otium & superbia Salaconum μεγαλοψυχία, qui nihil aliud quàm ut equi insultare solo & gressus glomerare superbos, quàm gyro breviori flecti, qui nihil aliud quàm cevere, quàm otiosè mendicando accusata non merente corporis infirmitate spoliare. Sed his Valentinianus Imperator benè prospexit legibus latis, ut qui nullo corporis morbo laborantes, corporis infirmitatem desidiosi ignaviique prætexentes mendicarent, perpetui coloni ei inservirent, qui eorum ignaviam proderet atque accusaret, ne eorum desidia onerosa populo, odiosave sit exemplo. Alfredus quoque regno administrando tanta vigilantia justitiaque usus est, ut si quis per vias publicas incedens, marsupium auro plenum vesperi perdidisset, manè, atque adeo post mensem unum, integrum & intactum inveniret, uti Ingulphus Croylandensis in historia refert. Nostra autem ætate, nihil ferè securum, ne in ædibus quidem, quamvis accuratè conclusis. Custosi quoque (Græcis λυκοῦς) à custodiendis non solum villis, sed & mercatorum ædibus, & quibus ampla res est domi, canis iste nominatur. Eam ob rem canes publicè alebantur Romæ in Capitolio, ut significent si fures venerint. Dicitur & Laniarium, quòd eorum usus multus sit laniis agendis & capiendis bestiis. Sed & Molossicum quoque & Molossum Latinis dicitur, à Molossia Epiri regione, ubi hoc genus canes boni & acres

Valentinianus.

Alfredi vigilantia.

Canis custos.

Canis Laniarius.

Molossicus.

Mandatarius. acres erant. Eſt ex hoc genere quem mandatarium ex argumento appellamus: quòd domini mandato literas, aliáſve res de loco in locum transferat, vel melio incluſas, vel eidem alligatas. Quæ ne intercipiantur, vel pugna, vel fuga ſi impetrſit, diligenter cavet. Eſt & Lunarium, quòd

Lunarius. nihil aliud quàm excubias agit, quàm inſomnes noctes totas protrahit baubando ad lunam, ut Nonii verbo utar. Ex quibus grandiores atque gra-

Aquarius. viores, etiam rotæ amplioris circumactu, aquam ex altis puteis ad uſus ruſticos hauriunt, quos aquarios appellamus ex officio: & ſartores ærarios

Sarcinarius. vagos manticis ferendis memorabili patientia levant: à qua re ſarcinarios nuncupamus. Præter has villaticorum qualitates atque uſus, hanc unam habent præcipuam, quòd amantes dominorum ſunt, & odium gerant in externos. Quo fit ut

Defenſor. per itinera dominis in præſidio ſunt, quos à furibus defendunt, vivos ſalvoſque conſervant: à qua re etiam canes defenſores jure dici poſſunt. At ſi quando vel multitudine, vel majori vi opprimatur dominus atque concidat, uſu compertum

Canum amor & fides. eſt, herum non deſerere ne mortuum quidem, ſed eum ad multos dies per famis & cœli injuriæ patientiam peramanter obſervare, & homicidam, ſi occaſio dabitur, interficere, aut ſaltem prodere vel latratu, vel ira, vel hoſtili inſultu, quaſi mortem heri ulturum. Hujus rei exemplo fuit noſtra memoria canis cujuſdam

Kingſtone. viatoris, qui Londino recta Kingſtonum, octo regum coronatione

tione percelebre oppidum, profecturus, cum bonam itineris partem confeciſſet, latronum inſidiis in Comparco, valli amplo & ſpatioſo, nemoribus obſito, & latrociniis infami loco, occubuit. Canis item ille Britannus genere, quem Blondus ſua memoria ſcribit, non longe Pariſiis hero à rivali interempto, & homicidam prodidiſſe, & ni canis ultionem homicida deprecatus eſſet, jugulaturum fuiſſe. In incendiis quoque in conticinio ſeu intempeſta nocte incidentibus, eo uſque latrant annoſi canes, etiam prohibiti, dum à domeſticis excitatis percipiatur focus: & tum ſua ſponte ceſſant à latratu: quod uſu compertum eſt in Britannia. Nec minor erat fides in eo cane qui domino profundam foveam per venatum incidenti nunquam abfuit, dum ſui unius indicio ſublatus is per funem fuit: in quem, cum oris cavernæ proximus eſſet, inſiliebat canis, tanquam ulnis amplexurus revertentem herum, impatiens longioris moræ.

Sunt qui focum non patiuntur diſſipari, ſed prunas in focum pede removent, prius cogitabundi aſpicientes qua ratione id poſſit à ſe fieri. Quod ſi pruna ardentior fuerit, cinere obruunt, ac dein nare in locum promovent. Sunt quoque qui noctu villici officium præſtant. Cum enim lectum petit herus, & omnia centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri robora, nec cuſtos abſiſtit limine Janus (ut ſcribit Vergilius) tum ſi prodire jubeat herus canem, is per fundos omnes oberrat, quovis villico diligentior, & ſi alienum quid invenerit ſive hominem, ſive beſtiam, abigit, domeſticis relictis animalibus atque ſervis. Sed quanta in his fidelitas, tanta varietas in ingeniis. Nam ſunt qui ore infreno latrent tantum nullo morſu. Verum hi minus tremendi, quòd timidiores ſunt. Canes enim timidi vehementius latrant, ut eſt in proverbio. Sunt

Canum ingenia.

qui latrent atque mordeant. Ab his cavendum quidem, quia admonent futuræ injuriæ, ſed non laceſſendum, quoniam ita concitantur ad dentem, ipſi etiam natura acerbiores. Sunt qui ſine voce proſiliunt, impetu involant, jugulum petunt, & crudelius lacerant. Hos formidato, quia animoſiores ſunt, & incautos opprimunt. Iſtis notis ignavum genus à ſtrenuo, audax à timido diſcernunt noſtri. Etenim ex malo genere, ne catulum quidem habendum exiſtimant, quòd nullum neceſſariis uſibus humanis commodiorem canem iſto putent. Nam ſi quis commemoratos eorum uſus ad ſummas velit revocare, quis hominum clarius aut tanta vociferatione beſtiam vel furem prædicat, quam iſte latratu? quis domitor ferarum potentior? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis cuſtos incorruptior? quis excubitor vigilantior? quis ultor aut vindex conſtantior? quis nuncius expeditior? quis aquarius laborioſior? quis denique ſarctor ærarius geſtandis ſarcinis tolerantior? Atque hæc quidem de canibus Britannicis generoſis atque ruſticis, qui genus ſuum ſervant, diximus. De degeneribus, & ex horum diverſo genere mixtis, quòd nullam inſignem veri generis qualitatem formamque referant, non eſt quod velim plura ſcribere, ſed ut inutiles ablegare: niſi quòd vel advenas latratu excipiant, etiam luce, & eorum adventus domeſticos commonefaciant, unde canes admonitores appellamus: vel quòd in officio culinario, cum aſſandum eſt, inſerviant, & rota minore gradiendo, verua circumagant, pondereque ſuo æquabiliter verſent, ut ne calo aut lixa quidem artificioſius:

Notæ ignaviæ aut audaciæ.

Ex degeneribus.

Admonitor.

Verſator.

cioſius: quos hinc canes verſatores, ſeu veruverſatores noſtrum vulgus nominat: poſtremos omnium generum, quæ primo memoravimus. Sunt etiam canes noſtri degeneres & ad tympanum ſaltare, & ad lyræ modos ſe movere docti, multaque alia erecti pronique facere, quæ à vagis quæſtuoſiſque heris exequi didicerunt. *Tympaniſtæ.*

Lyciſcum nullum iſtic in Anglia habemus nativum, ut nec lupum quidem, ut eſt ante comprehenſum: nec aliud genus ullum præter Lacænam & Urcanum: illam ex cane & vulpe (quam multam habet Anglia, & domi inter canes vel animi vel morbi cauſa ſæpe alit) hunc ex urſo & cane catenario: quos licet inimicos, pruriens tamen libido ſæpè ita hic conjungit, ut alibi ſolet. Nam cum tigride Hircanos, cum leone Arcadicos, cum lupo Gallicos commiſcuiſſe legimus. In hominibus quoque quibus ratio eſt, inimicos animos conciliat ſtulta illa res & naturalis, ut Moria loquitur. Eſt hic urcanus, ſæva beſtia, & intractabilis iræ (ut Gratii Poetæ verbis utar) cæteros canes noſtros omnes feroci crudelitate ſuperans, vel aſpectus torvitate terribilis, in pugna acris & vehemens, tantaque mordacitate, ut citius diſcrepas quàm diſſolvas: nec lupum nec taurum, urſum aut leonem reformidat: vel cum cane illo Alexandri Indico certe conferendus. Sed de his hactenus ut de Britannicis verba fecimus. *Lyciſcus.* *Lacæna.* *Urcanus.*

Externos aliquos & eos majuſculos, Iſlandicos dico & Lithuanicos, uſus dudum recepit: quibus toto corpore hirtis, ob promiſſum longumque pilum, nec vultus eſt, nec figura corporis. *Externi canes.*

Multis tamen quòd peregrini ſunt, & grati ſunt, & in Meli- *Externa prælata.*

tærorum locum aſſumpti ſunt: uſque adeo deditum eſt humanum genus etiam ſine ratione novitatibus. ἐῤῶμεν ἀλλοτείων, παῤῥῶμεν συγγενῆς: miramur alienа, noſtra non diligimus. Neque hoc in canibus ſolum, ſed in artificibus quoque uſu venit. Noſtros enim licet doctos & peritos faſtidimus, belluam è longinqua barbarie alienoque ſolo profectam tanquam aſinum Cumani, aut hominem Thalem noſtri ſuſpiciunt. Id quod Hippocrates ſub initio libri ſui περὶ ἀγμῶν recte ſua ætate obſervavit, & nos libello noſtro, ſeu conſilio de Ephemera Britannica ad populum Britannicum copioſius explicuimus. Atque in hoc genere quo quiſque indoctior, audacior, incogitantior, hoc pluris fit apud noſtros, atque etiam apud torquatos iſtos principes atque proceres. Cæterum de externis canibus nihil dico, quòd de Britannicis tantum voto tuo ſatisfacere ſtudeo, Conrade vir doctiſſime. Inter ea tamen quæ aliàs ad te dedi de cane Getulo ſeorſum ſcripſi, quòd rara ſpecies ejus videbatur. De cætero genere, ipſe pleniſſime ſcribis. Verum cum longius jam produximus hunc libellum quàm priorem ad te, brevius tamen quam pro natura rei, quod habuimus rationem ſtudiorum tuorum, memoriæ cauſa quæ de canibus Britannicis diximus, in diagramma reducemus. Et quia vulgaribus nominibus delectaris, ut ex literis tuis didici, ea quoque Latinis apponemus, & ſingulorum rationes exponemus, quò nihil tibi ſit incognitum aut deſideratum.

Canis Getulus.

Canes

Nomina.

			Latina.	*Anglica.*
Canes ergo Britannici, aut sunt,	Generosi.	Sagax.	Terrarius.	Terrierhound.
			Leverarius.	Harrierhound.
			Sanguinarius.	Bloodhound.
		Venatici.	Agasæus.	Gazehound.
			Leporarius.	Greyhound.
			Levinarius, seu Lorarius.	Lebiner, or Lyemmer.
			Vertagus.	Tumbler.
		Aucupatorii.	Hispaniolus.	Spaniel.
			Index.	Setter.
			Aquaticus, seu Inquisitor.	Waterspaniel, or Finder.
		Delicati.	Melitæus, seu Fotor.	Spanielgentle, or Lapdog.
	Rustici		Pastoralis.	Shepherd's Dog.
			Villaticus, seu Catenarius.	Mastive, or Bandog.
	Degeneres.		Admonitor.	Map.
			Versator.	Turnspit.
			Saltator.	Dancer.

Iſta vocabula noſtratia cum nihil apud te, hominem peregrinum, loquantur ſine interpretatione, ut Latinorum vocabulorum rationem prius reddidimus, ita Anglicorum jam reddemus, quò tibi pateant univerſa, eo etiam quo prius obſervato ordine.

Sagax. **Hound** igitur (quem inter venaticos ſagacem diximus) à verbo noſtro **hunt**, quod apud noſtros venari ſignificat, unica tantum immutata litera derivata appellatione, nomen habet. Quod ſi à vocabulo veſtrati **Hound**, (quod canem in univerſum apud vos ſignificat) propter vocum ſimilitudinem appellari credas (mi Geſnere) ut non magnopere repugnabo, cum adhuc retinemus multa Germanica vocabula à Saxonibus cum Angliam occuparunt, nobis relicta, ita illud admonebo, commune quidem nomen canis apud nos, **Dog** eſſe, venatici vero canis, **Hound**.

Agaſæus. Similiter à verbo noſtrati, **Gaze**, (quòd fixius rem aliquam & attentius contueri eſt) **Gazehound** appellatur noſtris, quem ante Agaſæum nominari diximus. Neque enim odoratu, ſed proſpectu attento & diligenti feram perſequitur iſte canis, ut jam ante memoravimus, etſi non ſum neſcius etiam apud Latinos Agaſæi vocabulum inter canum nomina reperiri.

Leporarius. A **Gzey** quoque, **Gzey-hound** apud noſtros invenit nomen, quod præcipui gradus inter canes ſit, & primæ generoſitatis. **Gzey** enim apud noſtros gradum denotat. Hunc latinè Leporarium dicebamus

A levitate, **Levtner**, à loro **Lyemmer** appellatur is quem Levinarium & Lorarium latinè nominavimus. Nam **Lyemme** noſtra lingua, Lorum ſignificat. Quod autem à levitate **Levtner**, hoc eſt à Latina voce Britannicam, deducimus: cur in libris noſtris ſparſim à Græcis dictionibus & Latinis, Italicis & Germanicis, Gallicis & Hiſpanicis noſtratia multa derivamus, unde ortum eadem multa habuerunt: & quemadmodum ab origine ſua etiam multa per corruptionem jam declinarunt, libello noſtro de ſymphonia, ſeu conſonantia vocum Britannicarum fuſius explicabimus. *Levinarius.* *Lib. de ſymphonia.*

Poſtremus inter venaticos, Vertagus eſt: quem **Tumbler** vocitamus: quòd **Tumble** apud nos vertere eſt Latinis, & *Tumbiere* Gallis, unde ortum habet id nomen **Tumbler**, mutata vocali in liquidam noſtro more: contra quàm in lingua Gallica & Italica, in quibus liquida ante vocalem, magna ex parte in aliam vocalem vertitur, ut impiere & piano, pro implere & plano, quæ exempli gratia adduco, cum infinita ſint. *Vertagus.*

Poſt Venaticos, ſequuntur Aucupatorii: inter quos primus eſt Hiſpaniolus, quem ab Hiſpania voce nomen accepiſſe prius diximus. Noſtri omiſſa aſpiratione & prima vocali, **Spainel** & **Spaniel** expediti ſermonis cauſa proferunt. *Aucupatorii.*

Secundus, Index, quem noſtri a **Setter** nominare ſolent, à verbo **ſet**, quod locum deſignare noſtris Britannis ſignificat. *Index.*

Poſt hunc ſubſequitur Aquaticus, hoc eſt a **Water-ſpaniel**, *Aquaticus.*

à vocibus Water & Spain (hoc est aqua & Hispania) deducto nomine. Nam aqua, in qua se exercet canis iste, Water: & Hispania (unde primum genus hoc tractum ex nomine creditur) Spain apud nostros vocitatur. Non quòd isti canes non sint etiam nativi in Britannia, sed quòd generale & commune nomen canum, qui ex Hispania primò profecti putantur, istæ canum species (ut & cæteri Aucupatorii) adhuc vulgo referunt, etsi in Britannia oriantur, & peculiari aliqua vocis nota, aut qualitatis indicio secernantur apud nos: ut est ista species, vocis Water, hoc est aquæ, appositione. Alio etiam nomine a Finder canis iste appellatur, quòd quærendo invenit res deperditas, quæ res nostris, find, hoc est invenire, dicitur. Nos tamen ab inquirendo Latinum nomen huic fecimus, quòd præcipua pars inventionis in inquirendo est.

Inquisitor.

A venaticis & aucupatoriis, transitus est ad Delicatos, Rusticos, & Degeneres. Delicatum, Melitæum & Spantel-gentle, hoc est, Hispaniolum generosum, nominavimus, à generositatis nomine data appellatione, quòd inter nobiles viros atque fœminas versari, & iis in deliciis atque ad lusus esse consuevit: ut erat illud Gorgonis κυνίδιον apud Theocritum in Syracusiis quod discedens, servæ diligentiæ pari cura cum infante commiserat, ut catellum quidem illa intro revocaret: puerum verò vagientem placaret. Ad alia omnia inutilis canis iste est, nisi ad ea quæ ante jam diximus, nisi ad fovendum stomachum debilitatum frigore, nisi ad prodendum adulterium, quod feciſſe hujus generis catellum quendam Siculum refert Ælianus, libro septimo, capite vicesimo quinto animalium.

Delicati.

Rusticos,

Ruſticos, **Shepherds Dogs**, **Maſtives**, & **Bandogs** nominavimus: illorum quidem deducto nomine à paſtore, qui **Shepherd** apud nos dicitur, quòd cuſtodit oves, quæ noſtris, **Sheep**, appellantur: iſtorum à ligamento, quod **Band**, & Sagina, quod **maſty**, villicis noſtris hominibus dicitur. Eſt enim craſſum genus canum, & bene ſaginatum Catenarium hoc. Etſi non ſum neſcius Auguſtinum Niphum, Maſtinum (maſtivum noſtri dicunt) pecuarium exiſtimare: & Albertum, Lyciſcum, ex cane & lupo genitum eſſe ſcribere: quamvis idem pro Moloſſo magna ex parte vertat. *Ruſtici.*

Ad poſtremum, degeneres, **Wap** & **Turnſpit** nominari dicebamus: hunc à verbo noſtrati **turn**, quòd eſt verto, & **ſpit**, ſeu **ſpeed** ad imitationem Italorum, quod veru dicitur: illum à naturali canis voce **Wau**, quam in latratu ædit admonendo. Unde, originaliter **Waup** dicendum fuit. Sed euphoniæ bonæque conſonantiæ gratia, vocali in conſonantem mutata, **Wap** à noſtris vocitatur. Etſi non me fugit Nonium, à voce naturali **Bau**, formare ſuum baubari, non à **Wau**, quemadmodum & Græci à ſuo βαΐζειν. *Verſator.*

Jam verò quòd **Dancer** noſtris, ſaltare ſit Latinis, ſi dideris, non eſt de canis ſaltatoris noſtrati nomine, amplius quod ipſe expetas. *Saltator.*

Ita habes (mi Geſnere) non ſolum canum noſtratium genera, ſed & nomina quoque Latina atque Anglica, officia atque uſus, differentias atque mores, naturas & ingenia, ut non ſit quod deſideres in hoc argumento amplius. Et quanquam forſan omni ex parte non ſatisfecerim tibi in edendo

dendo (cui in desideriis omnis festinatio in mora esse videatur) quòd inhibuerim editionem rudioris illius libelli, quem ad te tanquam ad privatum amicum, non ad æditionem publicam ante annos quinque dederim, tamen in hoc spero me satisfecisse tibi, quòd mora fecit aliquanto meliorem, & δευτέραι φροντίδες lectu commodiorem.

KYNO-

ΚΥΝΟΣΟΦΙΟΝ.

CYNOSOPHIUM.

LIBER

De CURA CANUM.

RIGALTIUS Lectori.

HUNC de Canum venaticorum cura libellum jam olim Vitebergæ ante LXVII *annos Andreas Aurifaber Vratislavienſis medicus edidit, & Rudberti cujuſdam Moſhaimi verſionem ſecutus latinum fecit: quin & nomen indidit Phaemoni, ac variantium lectionum ex Auguſtano codice notas aliquot adjecit. nos autem Phaemonis nomen, ut ignotum, & nullius codicis auctoritate fultum, expunximus: notas vero, ut ſuperfluas; præſertim quum duo codices, quos nobis regia bibliotheca ſuppeditavit, mire cum Auguſtano conſentiant; imo alicubi etiam ſint auctiores & emendatiores, inſuperhabuimus. cæterum ſi quid de auctore ſtatuendum ſit; omnino is eſſe videtur qui de re accipitraria ſcripſit: ſive fuerit Demetrius, ſive quis alius, æqualis geoponicorum atque etiam hippiatricorum ſcriptoribus*

ptoribus. hoc enim utriuſque operis præfatio indicat, & ſtilus arguit. Aurifabri verſionem edi curavimus, multo feliciorem accuratioremque ea quam Gillius quidam, doctiſſimis illius Petri Gillii nepos hieracoſophiorum verſioni adtexuit.

ΠΕΡΙ

ΠΕΡΙ ΚΥΝΩΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΣ.

ΟΥΚ ἔλαττον συντελεῖ καὶ κύων πρὸς ὑπηρεσίαν τῷ ἡμετέρῳ γένει. πῇ μὲν πρὸς φυλακὴν, πῇ δὲ καὶ πρὸς θήραν, ἢ καὶ ἀμφότερα· τοσοῦτον εὔνους ὢν τῷ αὐτοῦ δεσπότῃ, ὡς πολλάκις ὑπὲρ αὐτοῦ ἑτοίμως ἔχειν μέχρι θανάτου διαγωνίζεσθαι, καὶ κινδυνεύοντι ἐπαμύνασθαι. δηλοῖ δὲ καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος, ὁπόσα φιλεῖν οἶδε τὸν εὐεργέτην· τοῦ τοιούτου οὖν πῶς τήμεῖς ἀμελήσομεν; καὶ οὐ τῆς ἰατρείας αὐτῶν φροντίσομεν; ἐπεὶ καὶ ἄνευ τούτων τὴ χρεία τῶν ἱεράκων ἀνόνητος· μετὰ οὖν αὐτοὺ, καὶ τούτων ἀποχρῶντας ἐπιμελησώμεθα, εἰπόντες πρῶτον, περὶ τῆς τούτων γενέσεως καὶ δοκιμασίας.

Εν ποίῳ καιρῷ δεῖ τοὺ κύνας ὀχεύεσθαι.

Ιανουάριον ἢ φεβρουάριον μῆνα χρὴ τρέφειν τοὺ κύνας μετὰ φυλακῆς, καὶ ἀναπαύειν, ἵνα ἐπιζητήσωσιν ὀχευθῆναι· παρὰ κυνῶν δὲ δοκίμων ὡς ἂν ἀεὶ τὸ γένος δι' ἀγαθῶν κυνῶν ἐπιμένῃ. τὸ δὲ ὀχεύοντα, δεῖ

CYNOSOPHIUM.

LIBER de cura Canum.

NON minus utilitatis adfert ſuo officio ac ſtudio generi humano canis, quam falco aut accipiter, partim ratione cuſtodiæ, qua ſecuritatem præſtat, partim quod feras & à fructibus & pecudibus arceat, venaturque, partim utroque: domino ſuo maxime eſt amicus ac fidelis, adeoque ut ſæpe alacriter pro eo vitæ periculum adeat: nec tam cupiat quicquam, quam ut periclitantem ex periculis eripiat. oſtendit autem & ſolo nomine vocatus, quanto amet opere eum etiam à quo beneficio eſt affectus. hæc quum ita ſe habeant, quonam igitur modo canem negligemus? aut non cogitabimus medicinam, quam, ſi infeſtus caſus ita ferat, in parato habeamus? huc accedit illud quoque, quod ſine canum opera nullus prorſus ſit uſus accipitrum. Quare ſecundum accipitres hos etiam diligenti curæ habuiſſe ut videar, de canibus nunc dicam, initium faciens à generatione ac eorum cenſura.

Quo potiſſimum tempore canes admitti oporteat.

Menſe Januario ac Februario canes ſumma diligentia parique. ſtudio paſci, neceſſe eſt, atque omni labore ſolvi, ut eas denique libido coeundi inceſſat, cum optimis quibuſque canibus, ut ita genus per bonos uſque conſervetur. Eum autem, qui admittitur,

ΠΕΡΙ ΚΥΝΩΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΣ.

ΟΥΚ ἔλαττον συντελεῖ καὶ κύων πρὸς ὑπηρεσίαν τῷ ἡμετέρῳ γένει. πῇ μὲν πρὸς φυλακὴν, πῇ δὲ καὶ πρὸς θήραν, ἢ καὶ ἀμφότερα· τοσοῦτον εὔνους ὢν τῷ αὐτοῦ δεσπότῃ, ὡς πολλάκις ὑπὲρ αὐτοῦ ἑτοίμως ἔχειν μέχρι θανάτου διαγωνίζεσθαι, καὶ κινδυνεύοντι ἐπαμύνασθαι. δηλοῖ δὲ καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος, ὁπόσα φιλεῖν οἶδε τὸν εὐεργέτην· τοῦ τοιούτου οὖν πῶς τήμεις ἀμελήσομεν; καὶ οὐ τῆς ἰαστείας αὐτῶν φροντίσομεν; ἐπεὶ καὶ ἄνευ τούτων τὴ χρεία τῶν ἱεράκων ἀνόνητος· μετὰ οὖν αὐτοὺ, καὶ τούτων ἀποχρῶντας ἐπιμελησώμεθα, εἰπόντες πρῶτον, περὶ τῆς τούτων γενέτεως καὶ δοκιμασίας.

Ἐν ποίῳ καιρῷ δεῖ τοὺς κύνας ὀχεύεσθαι.

Ἰανουάριον ἢ φεβρουάριον μῆνα χρὴ τρέφειν τοὺς κύνας μετὰ φυλακῆς, καὶ ἀναπαύειν, ἵνα ἐπιζητήσωσιν ὀχευθῆναι· παρὰ κυνῶν δὲ δοκίμων ὡς ἂν ἀεὶ τὸ γένος δι' ἀγαθῶν κυνῶν ἐπιμένῃ. τὸ δὲ ὀχεύοντα,

δεῖ

CYNOSOPHIUM.

LIBER de cura Canum.

